PROGRAMMA SCHOLASTICUM

DE

ROMANIS AUTOBIOGRAPHIS,

SIVE IIS,

QUI DE SUA IPSI SCRIPSERUNT VITA.

Ex auctoritate

Amplissimorum GYMNASII LEIDENSIS Curatorum

PUBLICAM DISCIPULORUM PROMOTIONEM

PROXIMO DIE SATURNI XII SEPTEMBRIS MDCCCXLVI, HORA XI.

HABENDAM INDICTURUS

SCRIPSIT

W. H. D. SURINGAR,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT.

Gymnasii Prorector.

LUGDUNI BATAVORUM,

apud S. & I. LUCHTMANS.

Qua modestia nunc fere homines optimi suas ipsi laudes pronuntiare verentur, eam modestiam Veteres prorsus videntur ignoravisse; imo, multi olim, tam apud Graecos quam apud Romanos, qua erant animi magnitudine, suam ipsi virtutem sive dictis sive scriptis praedicaverunt simpliciter: idque ab aequalibus non arrogantiae videmus fuisse tributum, sed multo magis rectae conscientiae. Noverant illi quidem sine dubio, id quod Cicero filium suum docet, *Deforme esse de se ipsum praedicare, falsa praesertim, et cum irrisione audientium imitari militem gloriosum*, quodque item Xenophon dixisse dicitur *Αὐτῷ μὲν ὁ παρ' ἄλλων ἔπαινος ἥδιστον ἀκουσμάτων ἐστὶν, ἑτέροις δὲ ὁ περὶ αὑτοῦ, λυπηρότατον*: verum tamen arbitrabantur iidem Veteres, posse aliquando usu venire, ut viro in re publica versanti audendum sit de se ipso aliquid dicere, non gloriae ullius aut gratiae captandae causa, sed quia occasio et res ita postulent, ut sicut de alio vera, ita de se ipso etiam proferat: maxime quum ad praesens institutum commode cadat, ut liberaliter profiteatur, esse aliquid a se gestum quo de civibus suis bene sit meritus.

Explicuit hunc locum Plutarchus, in opusculo *Περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως*, quod editum legitur inter Opera Moralia p. 539—547. ed. Francof. multis ex historia praecipue Graeca petitis exemplis docens, qua quis ratione citra invidiam se ipsum laudare possit.

Inter iustas honestasque causas, ubi quis absque culpa reprehensionis suus ipse laudator esse possit, primum refertur si faciat hoc calumniae aut accusationis depellendae gratia; quemadmodum Pericles, ubi dixerat: *Καίτοι ἐμοὶ τοιούτῳ ἀνδρὶ ὀργίζεσθε, ὃς οὐδενὸς ἥσσων οἴομαι εἶναι γνῶναί τε τὰ δέοντα, καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα, φιλόπολίς τε καὶ χρημάτων κρείσσων*, non modo crimen arrogantiae, vanitatis et ambitionis effugit tunc de se magnifice loquendo, sed et altitudinem animi et virtutis declaravit magnitudinem, eo ipso invidiam opprimentis, quod deiici se et frangi non est passa. Tum vero testimonio est Epaminondas. Nam Pelopidam quidem a principibus rei publicae accusatum, quod exacto tempore *τῆς Βοιωταρχίας* non statim domum rediisset, sed in Laconicam irrupisset ac Messenam instauravisset, submittentem se et deprecantem Thebani aegre absolverunt. At, contra Epaminondam, qui eius tum fuerat collega, multa de rebus suis gestis magnifice praedicantem, eumque orationi finem imponentem, ut diceret: *ὡς ἕτοιμός ἐστιν ἀποθνήσκειν, ἂν ὁμολογήσωσιν ὅτι τὴν Λακωνικὴν διεπόρθησε, καὶ τὴν Μεσσήνην ᾤκισε, καὶ συνέστησεν Ἀρκαδίαν ἀκόντων ἐκείνων*, non sustinuerunt iidem ire in suffragia, sed admiratione viri gaudio simul risuque oborto discesserunt.

Non autem reis duntaxat et in periculo constitutis, sed etiam iis qui in aliquam inciderunt calamitatem, iactantia et fastus convenit, magis quam quum rebus utuntur secundis: hi enim veluti arripere gloriam et ambitioni suae indulgere videntur, illi procul ab arrogantia ob temporis rationem deiuncti, emergere adversus opprimentem fortunam, ac magnitudinem animi fulcire, omninoque fugere adversarum rerum miserationem deplorationemque existimantur. Hoc scilicet modo Homerus Patroclum, moderatum et invidiae expertem in re praeclare gerenda, in morte facit gloriose dicentem:

Τοιοῦτοι δ' εἴπερ μοι ἐείκοσιν ἀντεβόλησαν,
Πάντες κεν αὐτόθ' ὄλοντο, ἐμῷ ὑπὸ δουρὶ δαμέντες.

Et Phocion, mansuetus alias, postquam damnatus fuit, quum multis aliis indiciis suam detexit magnanimitatem, tum cuidam eorum, qui una morituri erant, eiulanti et graviter casum suum ferenti: *Τί λέγεις;* inquit, *οὐκ ἀγαπᾷς ἀποθνήσκων μετὰ Φωκίωνος;*

1

Non minor, sed maior etiam civili homini, iniuria affecto, licentia datur de se verba faciendi ad ingratos. Sic Achilles, alias diis gloriam concedens et moderate loquens, indigne autem affectus contumelia et circumscriptus, irae iactantiam permittit:

Δώδεκα δὴ σὺν νηυσὶ πόλεις ἀλάπαξ᾽ ἀνθρώπων.
et *— οὐ γὰρ ἐμῆς κόρυθος λεύσσουσι μετώπον*
Ἐγγύθι λαμπομένης.

Sic nimirum etiam Themistocles, quum in actionibus suis nullum dictum aut factum molestum adhibuisset, ab Atheniensibus se ob satietatem fastidiri ac despici animadvertens, non abstinuit dicere: *Τί, ὦ μακάριοι, κοπιᾶτε, πολλάκις ὑπὸ τῶν αὐτῶν εὖ πάσχοντες;* et *Χειμαζόμενοι μὲν, ὥσπερ ὑπὸ δένδρον ὑποφεύγετε, γενομένης δὲ εὐδίας, τίλλετε παρεξιόντες;* — Hi ergo iniuriis lacessiti, adversum ingratos memoriam rerum a se praeclare gestarum intulerunt.

Iam cuius recte facta culpantur, is ea si laudat, omnino veniam meretur et reprehensione caret: videtur enim non exprobrare, sed defendere. Haec res splendidam Demostheni paravit libertatem, laudumque amolita est fastidium, quas fere per totam pro Corona orationem usurpavit, iactans suas, quae culpabantur, de bello legationes et decreta. Et omnino oratio illa ingeniosissime oppositionibus et solutionibus causarum laudes superinducit; nec semel correctionibus laudum utitur. Iis autem qui utitur, non infert, sed transfert laudem; neque videtur gaudere laudatoribus, sed succensere quod non convenienter laudaverint aut ob eas res quas oportuit. Quale quid spectare videntur ista Demosthenis: *Οὐ λίθοις ἐτείχισα τὴν πόλιν, οὐδὲ πλίνθοις ἐγώ· ἀλλ᾽ ἐὰν τὸν ἐμὸν τειχισμὸν βούλῃ σκοπεῖν, εὑρήσεις καὶ ὅπλα καὶ ἵππους καὶ συμμάχους.* Ac multo magis illud Periclis. Quum enim iam morientem necessarii moesti deplorarent, ac praeturas commemorarent, potentiam, et quae tropaea, quas victorias urbesque Atheniensibus partas relinqueret: paululum sese erigens, reprehendit eos, quod communes multorum et fortunae magis quam virtuti debitas laudes retulissent, pulcherrima et maxima ipsique propria hac laude praetermissa *Ὅτι δι᾽ αὐτὸν οὐδεὶς Ἀθηναίων μέλαν ἱμάτιον ἀνείληφε.* Quod exemplum et oratorem docet, si quidem vir bonus sit, laudatum ob facundiam, laudem in vitam et mores avocare: et imperatorem, si ob peritiam rei militaris aut felicitatem sit in admiratione, de mansuetudine sua et iustitia libere loqui.

Quod autem Plutarchus disputando studuit probare, id multos olim Romanos facto comprobavisse videmus. Scilicet fuerunt in re publica Romana complures viri egregii, qui non dubitaverunt de rebus a se praeclare gestis, de consiliis suis, deque tota vita sua Commentarios conscribere. Qui mos a septimo Urbis saeculo invaluit: inventus a viris innocentissimis, qui, quae erat illa aetate rei publicae ad exitium vergentis perversa conditio, acerbiorem quam nequissimi sortem, tanquam innocentiae suae praemium, experti sunt. His autem viris non hoc videtur fuisse propositum ut suas ipsi celebrarent laudes praedicarentque de se ipsi et milites imitarentur gloriosos, nec etiam ut, recolenda praeclarorum factorum memoria, denuo gloria sua fruerentur otiosi. Imo vero, si cogitamus, quod historia docet, plerosque eos, qui quidem ante Augusti tempora de sua ipsi scripserint vita, optimos probatissimosque viros, egregie de patria sua meritos et summis perfunctos honoribus, fuisse mox sive per invidiam, quae perpetua solet esse gloriae comes, immeritas repulsas passos et gravissimis calamitatibus affectos, sive per calumniam in durissimam sortem vel in periculum vitae dilapsos, saepius etiam e patria pulsos exsilio indignissimo; haec igitur si cogitamus, nequaquam dubium videtur esse quin omnibus iis haec una eademque fuerit scribendi causa, ut defenderent se, non ut gloriarentur, utque aequalibus suis explicarent quales semper fuerint in rem publicam, quamque indigne experti sint ingratos civium suorum animos. Quos, quum agere causam suam viderentur cum aequalibus, vix falsa praedicare potuisse facile creditu est: quapropter equidem opinor de his posse dici, quod Cicero in Catone Maiore c. 10. 31. scribit de Nestore, apud Homerum saepissime de virtutibus suis praedicante, *Nec erat ei verendum, ne vera praedicans de se nimis videretur aut insolens aut loquax.* De duobus saltem viris, qui primi inter Romanos suam ipsi vitam narravisse dicuntur, Scauro et Rutilio, diserte scribit Tacitus id iis *non citra fidem aut obtrectationi* fuisse. Sed locum Taciti, hac de re classicum, exscribemus integrum. Hic igitur in vita Agricolae c. 1. *Clarorum*, inquit, *virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus, quamquam incuriosa suorum, aetas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium, parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. Sed apud priores ut agere memoratu digna pronum magisque in aperto erat; ita celeberrimus quisque ingenio, ad prodendam virtutis memoriam,*

sine gratia aut ambitione, bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt: nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit. Adeo virtutes iisdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur.

Exemplum scribendi de propria vita, primum a M. Aemilio Scauro et P. Rutilio Rufo datum, postea secuti sunt Q. Lutatius Catulus, L. Cornelius Sulla, M. Terentius Varro, M. Tullius Cicero, Augustus eiusque amicus M. Vipsanius Agrippa, deinde etiam Caesares Tiberius, Claudius eiusque uxor Agrippina, Hadrianus et Severus. Perperam autem, ut suo loco dicemus, huc quoque a nonnullis refertur C. Iulius Caesar. Hoc igitur demto, supersunt tredecim Romani, qui expressis Veterum testimoniis de sua ipsi vita scripsisse dicuntur.

Caesaribus vero, quos nominavi, et fortasse iam ipsi Augusto, non eamdem, quae prioribus fuit, suspicor fuisse causam scribendi. Hi utique non, ut illi, indigne acceptis iniuriis, sed perpetratis ut plurimum turpissimis facinoribus, ad scribendum se contulisse videntur, ut saltem apud posteritatis iudicia causam suam agerent, quum aequalibus suis, rerum ipsarum testibus, ne potuissent quidem imponere. Quapropter facile erit creditu, horum quidem multo minorem quam illorum scriptis, si superessent, habendam fuisse fidem. Nec tamen haec eiusmodi coniectura est, de cuius veritate vel falsitate iudicari non possit, quod omnes illi Commentarii penitus interierint: imo vero, ipsa ratio, qua Veteres de illis Caesarum scriptis mentionem faciunt, manifesto declarat multum abfuisse ut iis plenissima fides haberetur. Quid, quod Tiberius dicitur *ausus esse scribere?* quod Agrippina vitam suam *posteris memorasse* dicitur? quin et Severus disertis verbis dicitur *vitium crudelitatis excusasse.* De prioribus autem illis tacet Antiquitas. Num vero tacuisset, si falsa de se praedicassent, si hoc tantum moliti essent, ut se ipsos laudarent, nihilque aliud egissent, quam ut, quae facto peccassent, oratione fucata conarentur obumbrare? De Cicerone quidem narrat Plutarchus l. c. p. 540. F. Romanos aegre tulisse quod crebro res suas contra Catilinam gestas praedicaret: sed num quisquam Veterum fide dignus unquam dixit Ciceronem aut in orationibus, quas habemus superstites, aut in libris quos de vita sua et de consulatu suo scripsit, qui nunc perierunt, quidquam gloriatum esse quod aut falsum esset aut a persona sua alienum? Scaurum autem, hominem sapientem et rectum, quis credat quidquam voluisse fucatis verbis obumbrare, in cuius oratione tanta fuisse dicitur gravitas et tam naturalis auctoritas, non ut causam, sed ut testimonium dicere putares, quum pro reo diceret? Num quid aliud de Rutilio exspectare licet, qui, quamquam innocentissimus accusatus, vetuit causam suam ornatius aut liberius dici, quam simplex ratio veritatis ferret? Quid alii?

Sed de singulis, quos nominavi, dicemus deinceps. Est enim in animo nunc dedita opera agere

De Romanis Autobiographis, sive iis, qui de sua ipsi scripserunt vita.

Quod argumentum aut omnino neglectum est aut levissime tractatum ab iis qui historiam scripserunt Literaturae Romanae: qui autem data opera istam rem, ea qua par erat diligentia, tractaverit, quantum equidem novi, fuit nemo. Qui verbo tetigerunt et quorum laborem, quantumvis in plerisque valde exiguum, non negligendum sed in rem meam convertendum esse duxi, sunt sequentes:

Ger. Io. Vossius, de Historicis Latinis Libri Tres. in: *Oper. Omn. Vol. IV.* f°.

Io. Nic. Funccius, de Adolescentia Latinae Linguae Tractatus. *Marburgi Cattorum* 1723. 4°.

Idem, de Virili aetate Latinae Linguae Tractatus. *ibid.* 1727. 4°.

Idem, de imminenti Latinae Linguae Senectute Tractatus. *ibid.* 1736. 4°.

Aug. Krause, Vitae et Fragmenta veterum Historicorum Romanorum. *Berolini* 1833. 8°.

Ant. Westermann, Geschichte der römischen Beredtsamkeit. *Leipzig* 1835. 8°.

Lud. Wiese, Commentatio de Vitarum scriptoribus Romanis. *Berolini* 1840. 4°. p. 14—18.

Henr. Meyerus, Oratorum Romanorum Fragmenta ab Appio inde Caeco et M. Porcio Catone usque ad Q. Aurelium Symmachum. *Turici* 1842. 8°. Editio auctior et emendatior.

Frid. Ellendt, Brevis eloquentiae Romanae usque ad Caesarum aetatem Historia. (Praemissa editioni Bruti sive de Claris Orat.) *Regimontii Pruss.* 1844. 8°.

Ioh. Chr. F. Baehr, Geschichte der römischen Literatur. *Carlsruhe* 1844 et 1845. 8°. 2 voll. Dritte Ausg.

§. 1. M. Aemilius Scaurus.

Eorum igitur qui inter Romanos suam ipsi vitam narrasse dicuntur, quod quidem sciamus, primus fuit M. Aemilius Scaurus, is qui Princeps Senatus dictus est, pater Scauri, pro quo Cicero habuit orationem, natus a. U. C. 591. Huius rei testes sunt: Cicero in Bruto c. 29. 111. *In Scauri oratione sapientis hominis et recti, gravitas summa et naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut causam, sed ut testimonium dicere putares, quum pro reo diceret. Hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur: ad senatoriam vero sententiam, cuius erat ille princeps, vel maxime. Significabat enim non prudentiam solum, sed quod maxime rem continebat, fidem. Habebat hoc a natura ipsa, quod a doctrina non facile posset. -- Huius et orationes sunt, et tres ad L. Fufidium libri scripti de vita ipsius acta sane utiles; quos nemo legit: at Cyri vitam et disciplinam legunt, praeclaram illam quidem, sed neque tam rebus nostris aptam, nec tamen Scauri laudibus anteponendam.* Et Plinius, qui in Hist. Nat. L. XXXIII. c. 6. L. Fufidium nominans, addit: *ad quem Scaurus de vita sua scripsit.* Tum vero Tacitus in Agric. c. 1. cuius testimonium iam citavimus. Denique Valerius Maximus L. IV. c. 4. 11. *M. autem Scaurus quantulum a patre hereditatem acceperit, in primo libro eorum, quos de vita sua scripsit, refert.* Quibus accedunt Grammatici Charisius et Diomedes; quorum verba, quibus Fragmenta ex hisce libris continentur, memorabimus infra.

De L. Fufidio, ad quem Scaurus libros suos scripsit, nihil certi videtur posse dici praeterquam quod continuo deinceps apud Ciceronem legitur: *Ipse etiam Fufidius in aliquo patronorum numero fuit.* Editores Plinii suspicantur significari patrem illius Fufidii, equitis Romani, quem L. Piso proconsul Macedoniae creditorem debitoribus suis addixit, teste Cicerone in Pison. c. 35. 86. Orellius in Onom. Tull. P. II. p. 258. provocat ad Ruhnken. ad Velleium L. II. c. 16. p. 119.

De argumento horum librorum, qui, exceptis paucissimis Fragmentis, penitus interierunt, ut quodam modo iudicare possimus, non abs re fore arbitror, si, quod etiam in ceteris erit faciendum, paucis adumbravero Scauri vitam, quantum quidem per veterum scriptorum testimonia licebit. Sic saltem res et facta cognoscemus, quae hisce libris exposita fuere vel certe exponi potuisse videntur.

Scaurus igitur, (ut initium faciam a genere, de quo ipsum quoque exposuisse docemur e Valerii Maximi l. c.) teste Cicerone pro Mur. c. 7. 16. *memoriam prope intermortuam generis sui, virtute renovavit.* Quod dictum tum demum intelligemus, si recordamur quae Asconius notavit ad Scaurianam c. 1. 4. p. 22. Or. *Scaurus ita fuit patricius, ut tribus supra eum aetatibus iacuerit domus eius fortuna. Nam neque pater neque avus neque etiam proavus (ut puto, propter tenues opes et nullam vitae industriam) honores adepti sunt. Itaque Scauro aeque ac novo homini laborandum fuit.* Scilicet, ut legimus apud Auctorem de Viris Illustribus, qui vulgo Aurelius Victor vocatur, c. 72. *pater eius, quamvis patricius, ob paupertatem carbonarium negotium exercuit: quapropter primo ipse dubitavit, honores peteret, an argentariam faceret; sed eloquentiae consultus, ex ea gloriam peperit.*

Primo in Hispania corniculum meruit, ut scribit Aur. Vict. quo scilicet ornamento galeae ornabantur ii milites, qui res bene gesserant; ut explicant Interpretes ad eum locum et quos laudat Vorstius ad Valer. Max. L. VI. c. 1. 12.

Postea *sub Oreste in Sardinia stipendia fecit*, ita pergit Aur. Vict. Nempe L. Aurelius Orestes, consul a. 628. rebellantes Sardos subegit, ut legitur in Epitome Liviana L. LX.

Tum quoque Quaestor fuisse videtur: quamquam de Quaestura tacet A. V. Eam autem gerere debuit a. 629. In quo magistratu voluit praetorem accusare, sed *nominis deferendi potestas ipsi non data est in L. Flaccum*, ut scribit Cicero in Divin. in Caecil. c. 19. 63. ubi plura exempla memorari Quaestorum, qui praetores suos non permissi sunt accusare, notavit Pseudo-Ascon. p. 123. Or.

Porro Aedilis Curulis factus a. 631. propter paupertatem, privatis sumptibus nihil auxit ludorum, quos ex officio facere debebat, magnificentiam et splendorem: sed gratiam potius atque auctoritatem sibi comparavit iustitia atque aequitate iurisdictionis Aediliciae; quapropter Aur. Vict. ait: *Aedilis, iuri reddendo magis, quam muneri edendo studuit.*

Utrum Praetura functus sit, res videtur incerta. Pighius saltem Annal. Rom. T. III. p. 75. Scaurum praetorem faciens a. 634. nullum adducit testimonium. Et quod Aur. Vict. scribit: *Praetor*

adversus Iugurtham, tamen eius pecunia victus, referendum est ad Aurelii errores non infrequentes; si quidem in Africam demum profectus est a. 643. legatus a L. Calpurnio Bestia.

Legitimo anno Consulatum petens, deiectus est a Q. Maximo; de qua repulsa scribit Cicero pro Mur. c. 17. 36. *Nihil est*, inquit, *incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum, nihil fallacius ratione tota comitiorum. Quis L. Philippum a M. Herennio superari posse arbitratus est? quis M. Scaurum, hominem gravissimum, civem egregium, fortissimum senatorem, a Q. Maximo? Non modo horum nihil ita fore putatum est, sed ne quum esset factum quidem, quare ita factum esset, intelligi potuit.*

Anno autem sequenti 639. Consul creatus est cum M. Caecilio Metello; in eoque magistratu, quod nemini praeter hunc contigit, ex abiecta vita, ut scribit Plutarchus de Fortuna Rom. p. 318. C. et ignobili familia novus homo elevatus a Fortuna eo est, ut Princeps Senatus legeretur a censoribus L. Caecilio Metello Dalm. et Cn. Domitio Ahenobarbo. Cfr. Plinius L. II. c. 55. De rebus autem in hoc magistratu gestis, admodum pauca concise reperiuntur memoriae prodita. Aurelius Victor scribit: *Consul legem de sumptibus et libertinorum suffragiis tulit.* Et sumptuariae quidem meminit Plinius L. VIII. c. 57. (82.) *Sorices et ipsos hieme condi, auctor est Nigidius: sicut glires, quod Censoriae leges, Princepsque M. Scaurus in consulatu, non alio modo coenis ademere, quam conchylia, aut ex alio orbe convectas aves.* Unde docemur hac lege Scaurum ciborum quorumdam luxus sumptuosos a mensis voluisse arcere. Cfr. F. Walter Gesch. des röm. R. p. 252. De libertinorum autem suffragiis quid lege sua statuerit Scaurus, obscurum adhuc est: nam apud alios auctores eius rei nulla reperitur mentio. Fieri tamen potest ut Scaurus libertinis laxaverit suffragiorum habenas, ipsis Sempronia lege impositas. Ti. enim Gracchus, Gracchorum pater, censor a. 585. maximam eorum partem, qui scilicet servitutem servissent, in unam tribum urbanam Esquilinam coëgerat omnes, ut in illa tantum suffragia dare possent. Iam vero hac lege sua M. Scaurus cos. suffragiorum ius priscum ipsis restituisse videtur, et auctor Censoribus fuisse, ut denuo libertini cives omnes, uti prius, in quatuor urbanis tribubus censerentur, suffragiaque ferrent. Cf. Walter l. c. p. 123.

Ex consulatu Galliam provinciam rexit, et *Ligures*, ut scribit Aur. Vict. *et Gantiscos domuit, atque de his triumphavit.* Sed quinam Gantisci populi sint, dubium est. Attamen hoc qualecunque bellum fuerit, haud valde difficilem expeditionem habuisse videtur, quum Scaurus milites etiam in viis sternendis atque exsiccandis paludibus exercuerit. Cuius rei meminit Strabo L. V. c. 8. p. 217. *Πολὺ δὲ καὶ τῆς ἐντὸς τοῦ Πάδου κατείχετο ὑπὸ ἑλῶν, δι᾽ ὧν Ἀννίβας χαλεπῶς διῆλθε προϊὼν ἐπὶ Τυῤῥηνίαν· ἀλλ᾽ ἀνέψυξε τὰ πεδία ὁ Σκαῦρος διωρυγαῖς πλωταῖς, ἀπὸ τοῦ Πάδου μέχρι Παρμηστῶν. κατὰ γὰρ Πλακεντίαν ὁ Τρεβίας συμβάλλων τῷ Πάδῳ, ὡς ἔτι πρότερον ἄλλοι πλείους πληροῦσι πέραν τοῦ μετρίου· οὗτος δὲ ὁ Σκαῦρος ἐστὶν ὁ καὶ τὴν Αἰμιλίαν ὁδὸν στρώσας, τὴν διὰ Πεισῶν καὶ Λούνης μέχρι Σαββάτων, κἀντεῦθεν διὰ Δέρθωνος.* Ad eamdem expeditionem referendum videtur exemplum continentiae militaris, quod infra memorabimus inter Fragmenta ex Frontino L. IV. c. 3. 13. unde hoc quoque apparere videtur, Scaurum in hac expeditione saepius locum mutasse.

E Gallia redux, ut videtur, non effugit solitam et saepe iustissimam magistratuum, qui ex provinciis redibant, accusationem. Est enim repetundarum accusatus a M. Bruto: qua de re ita scribit Cicero pro Fonteio c. 13. 28. *M. Aemilium Scaurum, summum nostrae civitatis virum, scimus accusatum a M. Bruto. Exstant orationes, ex quibus intelligi potest, multa in illum ipsum Scaurum esse dicta: falso, quis negat? verum tamen ab inimico dicta et obiecta.* Ex orationibus, quibus se defendit, duo fragmenta supersunt apud Charisium p. 74. et 124.

Anno 643. dum bellum in Numidia gerebatur contra Iugurtham, inter eos maiores natu, nobiles, amplis honoribus usos, qui tum in Africam legati sunt, fuit etiam M. Scaurus, consularis et tunc in senatu princeps; *qui*, si Sallustio fides habeatur in Iugurth. c. 29. *tametsi a principio, plerisque ex factione eius corruptis, acerrime regem impugnaverat, tamen magnitudine pecuniae a bono honestoque in pravum abstractus est*, quum rex pacem emit, *peritus*, ut Florus ait L. III. c. 1. *fortius adversus Romanos aurum esse, quam ferrum.* Postea, quum C. Mamilius tribunus plebis rogationem ad populum promulgaverat, ut quaereretur in eos, qui in legationibus aut imperiis pecunias accepissent, ceteris metu perculsis, Scaurus inter laetitiam plebis, quum ex Mamilii rogatione tres quaesitores rogarentur, effecit ut ipse in eo numero crearetur. Quo facto, *ut saepe nobilitatem*, sunt verba Sallustii in Iug. c. 40. sic ea tempestate plebem *ex secundis rebus insolentia ceperat.* Sed, quod hac in re non negligendum est,

Sallustius, secutus fortasse C. Lucilium satirae scriptorem, iusto videtur iniquior in Scaurum, opinatus magnitudinem ingenii huius cum ea morum fallacia fuisse iunctam, ut virtutis simulatione pessima vitia obtegeret. Is utique ab eo dicitur c. 15. *homo nobilis, impiger, factiosus, avidus potentiae, honoris, divitiarum; ceterum vitia sua callide occultans.*

Censuram gessit a. 645. cum M. Livio Druso; in quo magistratu *viam Aemiliam stravit, pontem Mulvium fecit*, ut scribit Aurelius Victor. De ponte Mulvio idem testatur Ammian. Marcell. L. XXVII. c. 3. *Pontem Mulvium struxisse superior dicitur Scaurus.* Et sunt qui hunc eumdem censent, qui postea *Aemilius pons* dictus est apud Iuvenal. VI. 32. Aemilia autem via, quam Scaurus stravisse dicitur, ea intelligenda est, quam Strabo l. c. tradit Scaurum duxisse per Pisas et Lunam usque ad Sabatium, atque inde Derthonem. Altera enim Aemilia, quae Flaminiam excipit, M. Lepidi scilicet, multo ante fuit strata. De Scauri Censura denique hoc memorabile narrat Plutarchus in Quaest. Rom. p. 276. E. *Ἀποθανόντος δὲ τιμητοῦ Λιβίου Δρούσου, Σκαῦρος Αἰμίλιος συνάρχων οὐκ ἐβούλετο τὴν ἀρχὴν ἀπείπασθαι, μέχρις οὗ τῶν δημάρχων τινὲς αὐτὸν ἐκέλευον εἰς τὸ δεσμοτήριον ἀπάγεσθαι.* Moris scilicet erat, ut, si alter Censorum vita defunctus esset, alter se abdicaret. Cfr. Livius L. IX. c. 34. Scaurus autem a tribunis in carcerem duci iussus, tandem invitus abdicavit.

Post Censuram denique a. 647. alterum Consulatum gessit Scaurus, suffectus consuli L. Cassio Longino, a Cimbris devicto. Sed in huius mortui locum Consulatum petens, competitorem habuit P. Rutilium; qui, passus repulsam, Scaurum consulem designatum mox ambitus reum egit: verum Scaurus absolutus Rutilium accusatorem suum, ut talionem illi redderet, in idem iudicium vocavit atque etiam ambitus accusavit. De qua inimicitia mox dicemus, ubi de Rutilio disputabimus §. 2.

Anno post alterum Consulatum Scauro nova obtigit dignitas, procuratio rei frumentariae. Scilicet L. Appuleium Saturninum, qui Ostiensem provinciam quaestor obtinebat, in caritate annonae Senatus a sua frumentaria procuratione amovit, eique rei M. Scaurum praefecit. Qui Saturninus, ut Cicero scribit pro Sextio c. 17. 39. *quod a se, quaestore Ostiense, per ignominiam ad principem et Senatus et civitatis, M. Scaurum, rem frumentariam translatam sciebat, dolorem suum magna contentione animi persecutus est;* vel, ut alibi dicitur, de Harusp. Resp. c. 20. 43. *dolore factus est popularis*, et mox quum plebeiae factionis principibus se applicuisset et eorum favore factus esset Tribunus, gravissimam concitavit seditionem.

Praeter summos illos, de quibus diximus, honores, Scaurus etiam in Augurum collegium videtur fuisse coöptatus. Sed quo tempore iste honos ipsi contigerit, propter testimoniorum penuriam certo non potest definiri. Ex Asconii scholio, quod mox citabimus, apparet tantummodo ipsum iam Augurem fuisse a. 650. quo Domitius fuit tribunus.

Ex Auguratu autem nata Scauro simultas est cum Cn. Domitio, qui non dubitavit principem senatus atque civitatis in iudicium populi vocare, dicens eius opera sacra populi Romani esse deminuta. Rem narrat Asconius ad Scaurian. c. 1. p. 21. Or. *Domitius, qui consul fuit cum Cassio, quum esset tribunus plebis, iratus Scauro, quod eum in Augurum collegium non coöptaverat, diem ei dixit apud populum et multam irrogavit, quod eius opera sacra multa populi Romani deminuta esse diceret. Crimini dabat sacra publica populi Romani deûm Penatium, quae Lavinii fierent, opera eius minus recte casteque fieri. Quo crimine absolutus est Scaurus quidem, sed ita, ut a tribus tribubus damnaretur, a XXXII. absolveretur, et in eis pauca puncta inter damnationem et absolutionem interessent.* In eaque causa Domitius, quamquam rei opprimendi summo studio flagraret, laudabile dedit iustitiae exemplum, quod narrat Cicero pro Deiot. c. 11. 31. *Cn. Domitius ille, quem nos pueri consulem, censorem, pontificem maximum vidimus; quum tribunus plebis M. Scaurum, principem civitatis, in iudicium populi vocasset, Scaurique servus ad eum clam domum venisset, et crimina in dominum delaturum se esse dixisset: prehendi hominem iussit, ad Scaurumque deduci.* Ex quo loco sua duxit Valer. Max. L. VI. c. 5. 5.

Anno 654. quum tribunus plebis Saturninus, de quo diximus, et praetor Glaucia et Equitius, designatus tribunus plebis, maximos in civitate seditionum motus excitassent, tenerentque Capitolium armati, nec quisquam se populo concitato opponeret, *M. Aemilius Scaurus*, sunt verba Valer. Max. L. III. c. 2. 18. *Caium Marium, consulatum sextum gerentem, hortatus est, ut libertatem legesque manu defenderet: protinusque arma sibi afferri iussit. Quibus allatis, ultima senectute confectum et paene dilapsum corpus induit, spiculoque innixus ante fores Curiae constitit, ac parvulis extremi spiritus reliquiis, ne res publica exspiraret, effecit.*

Praesentia enim animi sui senatum et equestrem ordinem ad vindictam exigendam impulit. Cfr. Cicero pro C. Rabir. perd. c. 7. 21. sqq.

Quum bellum Mithridaticum nondum erupisset, intercederet tamen iam populo Romano simultas cum Mithridate, essentque variae in Asiam ad regna Cappadociae et Bithyniae legationes missae, unam earum legationum a. 663. obiisse videtur Scaurus. Vid. P. Wesseling. Observat. L. I. c. XI. Inde redux, *reus est factus*, ut scribit Cicero pro Scaur. c. 1. 2. *a Q. Servilio Caepione lege Servilia, quum iudicia penes equestrem ordinem essent, et P. Rutilio damnato nemo tam innocens videretur, ut non timeret illa.* Ad q. l. Asconius narrat quomodo Scaurus evaserit, ἀντικατηγορίαν Caepioni actori intendendo: *Q. Servilius Caepio*, inquit, *Scaurum ob legationis Asiaticae invidiam et adversus leges pecuniarum captarum reum fecit repetundarum lege, quam tulit Servilius Glaucia. Scaurus tanta fuit continentia animi et magnitudine, ut Caepionem contra reum detulerit et breviore die inquisitionis accepta effecerit, ut ille prior causam diceret, M. quoque Drusum, tribunum plebis, cohortatus sit, ut iudicia commutaret.*

Anno sequenti, ab eodem *Q. Caepione*, ut Cicero scribit pro Scauro c. 1. 3. *etiam lege Varia, custos ille rei publicae proditionis est in crimen vocatus: vexatus a Q. Vario tribuno plebis est non multo ante.* ad q. l. quibus res satis explicatur, haec notavit Asconius: *Italico bello exorto, quum ob sociis negatam civitatem nobilitas in invidia esset, Q. Varius, tribunus plebis, legem tulit, ut quaereretur de iis, quorum ope consiliove socii contra populum Romanum arma sumpsissent. Tum Q. Caepio, vetus inimicus Scauri, sperans invenisse se occasionem opprimendi eius egit, ut Q. Varius, tribunus plebis, belli concitati crimine adesse apud se Scaurum iuberet anno LXXII. Ille per viatorem accersitus, quum iam ex morbo male solveretur, dissuadentibus amicis, ne se in illa valetudine et aetate invidiae populi obiiceret, innixus nobilissimis iuvenibus processit in forum, deinde accepto respondendi loco dixit: Q. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus socios in arma ait convocasse; M. Scaurus princeps senatus negat; testis nemo est: utri vos, Quirites, convenit credere? Qua voce ita omnium commutavit animos, ut ab ipso etiam tribuno dimitteretur.* Responsum, quo Scaurus accusationem elusit, quod Quinctilianus L. V. c. 12. 9. comparat cum simili responso Iphicratis (Cfr. Aristot. Rhet. L. II. p. 1398. *Bekk.*) memorarunt item Aurelius Victor l. c. et Valer. Max. L. III. c. 7. 8. quamquam hic quidem perperam istud refert ad crimen acceptae pecuniae a rege Mithridate.

Neque tamen semper Scaurus eodem honore discessit a iudicio. Quum enim in C. Fimbriam et C. Memmium iuratus testimonium dixisset, eius testimonio non creditum est, ut, additis tamen Scauri laudibus egregiis, refert Cicero pro Fonteio c. 7. 14. *Ecquem hominem vidimus, ecquem vere commemorare possumus parem consilio, gravitate, constantia, ceteris virtutibus, honoris, ingenii, rerum gestarum ornamentis, M. Aemilio Scauro fuisse? Tamen huius, cuius iniurati nutu prope terrarum orbis regebatur, iurati testimonio, neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmium creditum est.* Qui quidem Memmius idem esse videtur, qui acerbo olim convicio palam Scauri avaritiam exprobravit: cuius rei mentio fit apud Ciceronem de Orat. L. II. c. 70. 283. *Bellum etiam est, quum, quid cuique sit consentaneum, dicitur: ut, quum Scaurus nonnullam haberet invidiam ex eo, quod Phrygionis Pompeii, locupletis hominis, bona sine testamento possederat, sederetque advocatus reo Bestiae, quum funus quoddam duceretur, accusator C. Memmius, Vide, inquit, Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor.* Praeter Memmium et Flavium Fimbriam, tertium exemplum memorat Valer. Max. L. VIII. c. 5. 2. *M. Aemilius Scaurus*, inquit, *princeps senatus, C. Memmium repetundarum reum destricto testimonio insecutus est. Item C. Flavium eadem lege accusatum testis proscidit. Iam C. Norbanum maiestatis crimine publicae quaestioni subiectum, ex professo opprimere conatus est: nec tamen aut auctoritate, qua plurimum pollebat, aut religione, de qua nemo dubitabat, quemquam illorum affligere potuit.*

Videmus igitur Scaurum in continuis simultatibus consenuisse; quod tum quidem minus videbitur mirum, si cogitamus tanta eum fuisse constantia, ut de vera et certa sententia nunquam potuerit demoveri: et talem se praestitisse propugnatorem rei publicae per triginta et plures annos, *qui*, ut Cicero ait pro Sextio c. 47. 101. *a C. Graccho usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restitit, quem nulla unquam vis, nullae minae, nulla invidia labefecit.* Propter has igitur simultates suspicor Scaurum contulisse se ad scribendum hosce, de quibus agimus, de

Vita sua libros: ut scilicet cives suos doceret, quae rei publicae causa perferre, qualisque semper in unumquemque esse sustinuisset.

Cffr. **Vossius**, de Hist. Lat. L. I. c. 9. **Krause**, p. 223. **Westermann**, §. 42. p. 90. **Meyer**, §. XXXVIII. p. 253. **Ellendt**, §. 21, p. 45. **Bähr**, §. 197. T. II. p. 22. quibus addatur **de Brosses**, Vie de Scaurus, pour servir de supplément aux Mémoires écrits par lui-même. in: Mémoires de l'Acad. des inscript. et belles-lettres T. XXIV. p. 235—260.

Fragmenta.

Lib. I.

(*Valer. Max. L. IV. c.* 4. 11.) M. autem Scaurus quantulam a patre hereditatem acceperit, in primo libro eorum, quos de Vita Sua scripsit, refert. Ait enim sibi decem sola mancipia, totumque censum quinque atque triginta millium numûm relictum. In hac ille pecunia futurus senatus princeps nutritus est spiritus.

Lib. III.

(*Charisius L. I. p.* 119. Putsch.) Vectigaliorum -- Vectigalium. P. quoque Rutilius de Vita Sua lib. IV. Scaurus lib. III. Vectigalium se minus fructos.

(*Diomedes L. I. p.* 371. Putsch.) Sino, sini. Item Scaurus de Vita Sua III. Praelium non sini fieri.

(*Diomedes L. I. p.* 381.) Scaurus de Vita Sua III. *poteratur* etiam sicut *possitur* dictitat.

† (*Diomedes L. I. p.* 373.) Figor ambigue declinatur apud veteres tempore perfecto, reperimus enim fictus et fixus. Scaurus de Vita Sua: Sagittis, inquit, confictus.

† (*Servius ad Virg. Aen. XII.* 121.) Scaurus de Vita Sua: In agrum hostium veni, pilatim exercitum duxi, i. e. strictim et dense.

† (*Frontinus Strateg. L. IV. c.* 3. 13.) Universi quoque exercitus notabilis saepe fuit continentia, sicuti eius, qui sub M. Scauro meruit. Namque memoriae tradidit Scaurus, pomiferam arborem, quam in pede castrorum fuerat complexa metatio, postero die, abeunte exercitu, intactis fructibus relictam.

Frontini locum ad libros *de Vita sua* referendum esse iam suspicatur Pighius in Annal. Rom. T. III. p. 103.

§. 2. P. Rutilius Rufus.

Sequitur P. Rutilius Rufus, Scauro annis fere octo minor; qui apud Ciceronem de Orat. L. I. c. 53. 229. *exemplum innocentiae* vocatur, *quo nemo neque integrior erat in civitate, neque sanctior*, et quem Velleius L. II. c. 13. appellat *virum non seculi sui, sed omnis aevi optimum.* Hunc enim de vita sua scripsisse, probatur eodem illo, quod iam citavimus, testimonio Taciti in Agric. c. 1. tum vero ex Grammaticis, qui inde aliquot servaverunt fragmenta.

Sed hoc Rutilii opus, quod et *Latine* scriptum et minimum *quinque libris* fuisse comprehensum, apparet ex Charisio L. I. p. 96 et 112. non confundendum est cum alio eiusdem auctoris libro, quo scripsit *τὴν Ῥωμαϊκὴν Ἱστορίαν τῇ Ἑλλήνων φωνῇ.* ut ait Athenaeus L. IV. p. 168. D. L. VI. p. 274. C. L. XII. p. 543. A. cuius pars videtur fuisse *Historia Belli Numantini*, cui Rutilius interfuit sub Scipione, ut scribit Appianus L. VI. de Reb. Hispan. c. 88. *ὁ δὲ Σκιπίων Ῥουτίλιον Ῥοῦφον, συγγραφέα τῶνδε τῶν ἔργων, τότε χιλιαρχοῦντα, ἐκέλευσε τέσσαρας ἱππέων ἴλας λαβόντα, ἀναστεῖλαι τοὺς ἐνοχλοῦντας. κ. τ. λ.* cfr. Cic. de Rep. L. I. c. 11. Praeterea Rutilius, *cuius adolescentiam*, ut Cicero scribit de Offic. L. II. c. 13. 47. *ad opinionem et innocentiae et iuris scientiae P. Mucii Scaevolae commendavit domus*, etiam de Iure scripsit libros; et, Panaetii auditor quum esset, fuit *prope perfectus in Stoicis*, teste Cicerone in Brut. c. 30. 114. et de Off. L. III. c. 2. 10. Cfr. Lyndenius de Panaetio p. 52 sq. Ad eumdemque refertur oratio *de modo aedificiorum*, quam Augustus tanti aestimavit, ut eam Senatui totam recitaverit et populo saepe per edictum fecerit notam, teste Suetonio in Aug. c. 89.

(†) Crucis signo utimur ad indicandum Fragmenta esse sedis incertae.

De primis autem, quos in re publica gesserit, honoribus parum aut nihil constat. Secundum Pighium Quaestor fuerit a. 633. Tribunus plebis a. 639. postquam anno priore, id est anno legitimo, repulsam tulisset; quod novimus e Cicerone pro Planc. c. 21. 52. Porro Praeturam videtur gessisse a. 643. Biennio post fuit Legatus Q. Caecilii Metelli Numidici, secundum Sallust. in Iug. c. 50.

De reliqua vita certiora novimus. Scilicet a. 647. Consulatum petens, repulsam passus est, praelato Scauro: de qua repulsa scribit Cicero in Bruto c. 30. 113. *Quum una consulatum petivissent, non ille solum, qui repulsam tulerat, accusavit ambitus designatum competitorem, sed Scaurus etiam absolutus, Rutilium in iudicium vocavit; multaque opera, multaque industria Rutilius fuit; quae erat propterea gratior, quod idem magnum munus de iure respondendi sustinebat.* In quo iudicio ridiculum, quod contigit, exponit Cicero de Orat. L. II. c. 69. 280. *quum Scaurus accusaret Rutilium ambitus, quum ipse consul esset factus, ille repulsam tulisset, et in eius tabulis ostenderet literas* A. F. P. R. *idque diceret esse*, ACTVM FIDE P. RVTILII; *Rutilius autem*, ANTE FACTVM, POST RELATVM; *C. Canius, eques Romanus, quum Rufo adesset, exclamat, neutrum illis literis declarari. Quid ergo? inquit Scaurus; Aemilius fecit, plectitur Rutilius.*

Sed duobus annis post Consul factus est a. 649. In quo magistratu, quum collega Cn. Mallius Maximus ingenti strage a Cimbris fusus esset, Rutilius rei gerendae occasione caruit, iussus a Senatu iuventutem omnem Italiae sacramento adigere atque novas legiones scribere, quibuscum hosti occurreret. Is autem, ut aliis praeiret, et ne quispiam vacationum causas praetenderet, *quum secundum leges*, ut scribit Frontinus Strategem. L. IV. c. 1. 12. *in contubernio suo filium habere posset, in legione militem fecit.* Idemque, ut rudem inexpertumque tironem dimicandi arte instrueret, *nullius ante se imperatoris exemplum secutus*, ut apud Valer. Max. legitur L. II. c. 3. 2. *ex ludo Cn. Aurelii Scauri doctoribus gladiatorum arcessitis, vitandi atque inferendi ictus subtiliorem rationem legionibus ingeneravit: virtutemque arti, et rursus artem virtuti miscuit; ut illa impetu huius fortior, haec illius scientia cautior fieret.*

Decennio post Legatus fuit Q. Mucii Scaevolae, Asiae proconsulis, sive, ut alii malunt, Quaestor Scaevolae praetoris, secundum Pseudo-Asconium in Divin. in Caec. p. 122. qua de re docte disputatum est in Orellii Onom. Tull. P. II. p. 518 A. Sed ex Asia reversus, *vir summae innocentiae*, quae verba sunt Epitomes Livianae L. 70. *quoniam a publicanorum iniuriis Asiam defenderat, invisus equestri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus, in exsilium missus est.* Subornaverant scilicet publicani accusatorem, Apicium quemdam, hominem nequitia et luxuria in civitate non minus insignitum, quam Rutilius innocentia praelucebat, ut novimus ex Athenaeo L. IV. p. 168. E. Idque illud iudicium est, de quo loquitur Cicero in Brut. c. 30. 115. *Rutilius innocentissimus quum in iudicium vocatus esset (quo iudicio convulsam penitus scimus esse rem publicam) quum essent eo tempore eloquentissimi viri L. Crassus et M. Antonius consulares, eorum adhibere neutrum voluit. Dixit ipse pro sese*, et, ut legimus apud eumdem de Orat. L. I. c. 53. 229. *non modo supplex iudicibus esse noluit, sed ne ornatius quidem, aut liberius causam dici suam, quam simplex ratio veritatis ferebat:* quapropter a Quinctiliano L. XII. c. 1. 12. dicitur *paene Socratico genere defensionis* usus esse.

Ergo in exsilium eiectus est a. 662. quod exsilium tamen fere triumphum fuisse dixeris. *Petenti* enim *Asiam*, ut scribit Valer. Max. L. II. c. 10. 5. *omnes provinciae illius civitates legatos, secessum eius opperientes, obviam miserunt.* Et primum quidem Mitylenis vixisse videtur: mox autem Smyrnam concessit, cuius urbis incolae eum civem sibi addiderunt, secundum Cicer. pro Balbo c. 11. 28. et Tacit. Ann. L. IV. c. 43. Habebat autem sibi comitem Aurelium Opilium, qui, ut Sueton. scribit de Ill. Gramm. c. 6. *Epicurei cuiusdam libertus, philosophiam primo, deinde rhetoricam, novissime grammaticam docuit. Dimissa autem schola, Rutilium Rufum damnatum in Asiam secutus, ibidem Smyrnae simulque consenuit.* Rutilium Smyrnae visit Cicero in itinere Asiatico a. 676. et in libris de Republica fingit in ea urbe sibi ab eo expositam esse Scipionis eiusque amicorum disputationem. Cf. Brut. c. 22. 85. et de Rep. L. I. c. 8.

Ad finem usque vitae Rutilius in exsilio mansisse videtur; neque enim, etsi revocatus restitutusque a Sulla dictatore, unquam voluit redire, *aequiore animo passus se patriae eripi, quam sibi exsilium*, ut scribit Seneca de Provid. c. 3. 7. Et, *quum quidam illum*, ut idem scribit Seneca de Benef. L. VI. c. 37. 1. *consolaretur, et diceret instare arma civilia: brevi futu-*

rum, ut omnes exsules reverterentur: Quid tibi, inquit, mali feci, ut mihi peiorem reditum, quam exitum optares? Malo, ut patria exsilio meo erubescat, quam reditu moereat. Quod cogitans cecinit Ovidius Epist. ex Ponto I. 3. 63.

I nunc, et veterum nobis exempla virorum,
Qui forti casum mente tulere, refer.
Et grave magnanimi robur mirare Rutili,
Non usi reditus conditione dati.
Smyrna virum tenuit, non Pontus et hostica tellus;
Paene minus nullo Smyrna petenda loco.

Post tam aerumnosam vitam non mirum accidat si Rutilius etiam in his libris de Vita Sua, quos in exsilio videtur scripsisse, usus sit *tristi quodam et severo genere dicendi*, in quo ipsum versatum fuisse memorat Cicero in Brut. c. 30. 113. etsi, iudice Seneca in Epist. XXIV. 3. *damnationem suam sic tulit, tamquam nihil illi molestum esset aliud, quam quod male iudicaretur.*

Cffr. Vossius. de Hist. Lat. L. I. c. 9. Krause, p. 227. Westermann, §. 42. p. 91. sqq. Meyer, §. XLI. p. 263. Ellendt, §. 22. p. 48. Bähr, §. 197. T. II. p. 22. quibus adde Io. Chr. Wernsdorf, ad Poët. Lat. Min. T. V. P. I. p. 28. sq.

Fragmenta.

Lib. I.

(*Charisius L. II. p.* 176.) Artificiose: P. Rutilius Rufus de Vita Sua libro primo: Pompeius elaboravit uti populum Romanum nosset, eumque artificiose salutaret.

Lib. II.

(*Charisius L. I. p.* 100.) Sed enim P. Rutilius de Vita Sua libro secundo: Animo, inquit, constante.

Lib. III.

(*Charisius L. I. p.* 105.) Familiare recte P. Rutilius de Vita Sua libro tertio: Pro L. familare veniebam.

Lib. IV.

(*Charisius L. I. p.* 119.) Vectigaliorum -- Vectigalium. P. quoque Rutilius de Vita Sua lib. IV. Scaurus lib. III. Vectigalium se minus fructos.

Lib. V.

(*Charisius L. I. p.* 96.) Aedile, ab hoc aedile, non aedili. P. Rutilius de Vita Sua quinto.

(*Charisius L. I. p.* 112.) Orbi pro orbe, apud Ciceronem de Rep. lib. 5. Orbi terrarum comprehensos. Sed et P. Rutilium de Vita Sua quinto: Ex orbi terrarum.

† (*Diomedes L. I. p.* 371.) Sino, sini, ut Publius Rutilius de Vita Sua: Quod si me invitum abire sinisset.

† (*Diomedes L. I. p.* 372.) Publius Rutilius de Vita Sua: Uni una ostenta est.

† (*Isidorus L. XX. c.* 11. 4.) Lecticae, sive lecti plutci, de quibus Satilius Rufus de Vita Sua: Primum, inquit, contra consuetudinem imperatorum ipse pro lectis lecticis utebatur.

In loco Isidori pro *Satilius Rufus* legendum esse *Rutilius Rufus*, docuit Lipsius ad Tacit. Agric. c. 1. In novissima editione Lindem. legitur: *Rutilius Rufus de vita Scipionis*, ut dudum corrigendum esse censuerat Fabricius in Bibl. Lat. T. III. p. 375. Sed iudice Ellendtio, Rutilius nunquam scripsit vitam Scipionis. Equidem opinor, Rutilium, quae de Scipione narraverit secundum Livium L. XXXIX. c. 52. narravisse in historia Belli Numantini; quam partem fuisse maioris operis historici supra diximus. Sed in Isidori verbis amplector emendationem Lipsii.

§. 3. Q. Lutatius Catulus.

Tertius eiusdem fere aetatis est Q. Lutatius Catulus, quem virum *humanitate, sapientia, integritate antecellentem* dicit Cicero pro Mur. c. 17. 36. et cuius oratio in L. III. de Orat. c. 8. 29. dicitur *pura sic, ut Latine loqui paene solus videatur, sic autem gravis, ut in singulari dignitate omnis tamen adsit humanitas ac lepos.* Quae quidem laus in primis etiam valet de libris quos de suo ipsum Consulatu scripsisse novimus e Cicerone in Bruto c. 35. 132. ubi Catuli eruditio exquisitis laudibus tollitur. *Iam Q. Catulus*, inquit, *non antiquo illo more, sed hoc nostro (nisi quid fieri potest perfectius) eruditus. Multae literae, summa non vitae solum, atque naturae, sed orationis etiam comitas, incorrupta quaedam Latini sermonis integritas: quae perspici quum ex orationibus eius potest, tum facillime ex eo libro, quem de consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis, misit ad A. Furium poëtam, familiarem suum: qui liber nihilo notior est, quam illi tres de quibus ante dixi, Scauri libri. -- Fuit igitur in Catulo sermo Latinus: quae laus dicendi non mediocris, ab oratoribus plerisque neglecta est. -- Nec habitus est tamen Catulus princeps in numero patronorum: sed erat talis, ut, quum quosdam audires, qui tum erant praestantes, videretur esse inferior: quum autem ipsum audires sine comparatione, non modo contentus esses, sed melius non quaereres.*

Fuit ergo Catuli liber, iudice Cicerone, *conscriptus molli et Xenophonteo genere sermonis.* Quibus verbis haud exiguam laudem contineri facile fatebimur, si meminerimus quantopere sermo Xenophontis placuerit Ciceroni. Scilicet hic in libro, qui inscribitur Orator, modo c. 9. 32. Xenophontis sermonem dicit *melle dulciorem*, modo c. 19. 62. *Xenophontis voce Musas quasi locutas.* Ista autem laus si cui nimia videatur, cogitet velim tantam Catulo fuisse eloquentiae famam, ut Antonius in dialogo de Oratore L. II. c. 7. 28. dicat: *Catulo non solum nos Latini sermonis, sed etiam Graeci ipsi solent suae linguae subtilitatem elegantiamque concedere.*

Porro A. ille Furius, ad quem Cicero dicit Catulum misisse suum librum, fuit procul dubio poëta eo tempore clarus, cognomine *Antias* i. e. Antii natus; qui Annalium libros XI. condidit versibus hexametris, quos Virgilium passim imitatione reddidisse docet Macrobius Sat. L. VI. c. 1. 3. et 4. apud quem pulcherrimae supersunt particulae, ut et apud Gellium L. XVIII. c. 11. et Nonium p. 133. 145. 148. 188. In his Annalibus etiam Catuli res, per consulatum gestas, traditas expositasque fuisse suspicatur A. Weichert in Poëtar. Latin. Reliqq. p. 353. Sed ad Catulum revertamur.

Hic autem quosnam honores gesserit ante Consulatum, nequaquam certo dici potest propter penuriam testimoniorum: nam quod Pighius eum Quaestorem facit a. 631. et Tribunum a. 636. et Aedilem a. 641. et Praetorem a. 644. id solum propter annorum rationem factum est. De petitione Consulatus vero res est aliquanto certior; in ea scilicet fortunam expertus est maxime adversam, si quidem triplicem tulit repulsam: primam, quum victus est a C. Attilio Serrano, qui a. 648. cum Q. Servilio Caepione consul fuit; alteram, quum postpositus est Cn. Mallio, qui a. 649. cum P. Rutilio Rufo consul fuit; tertiam, quum ei praepositus est C. Flavius Fimbria, qui a. 650. cum C. Mario consul fuit. Qua de re, quamquam mixto annorum ordine, loquitur Cicero in Orat. pro Planc. c. 5. 12. *Semper populus Romanus dicet praeposuisse se Q. Catulo, summa in familia nato, sapientissimo et sanctissimo viro, non dico C. Serranum, stultissimum hominem: fuit enim tamen nobilis: non C. Fimbriam, novum hominem: fuit enim et animi satis magni, et consilii, sed Cn. Mallium non solum ignobilem, verum sine virtute, sine ingenio, vita etiam contempta ac sordida.*

Tandem vero a. 652. Consulatum gessit cum C. Mario quartum hunc magistratum obtinente. Ambobus Consulibus decreta est utraque Gallia et bellum Cimbricum. *Effusa* enim, ut Velleius scribit L. II. c. 12. *immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat, quum Caepionem Manliumque coss. et ante Carbonem Silanumque fudissent fugassentque in Galliis et exuissent exercitu, Scaurumque Aurelium cos. et alios celeberrimi nominis viros trucidassent, populus Romanus non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem, quam Marium, est ratus.* Ergo consules ambo protinus in provinciam contenderunt: C. Marius ad Isarae Rhodanique confluentes adversus Teutonas et Ambrones castra posuit; Catulumque collegam Cimbris, qui per Noricum irrupturi videbantur, occurrere iubet. C. Marii quidem castra Teutones, Tigurini et Ambrones toto triduo oppugnare non cessant; sed

ubi illum exciri ad proelium non posse senserunt, praeter vallum eius versus Alpes iter arripuere barbari. Hos tribus agminibus Italiam petentes Marius insecutus, ad Aquas Sextias duobus gravissimis proeliis vicit; primo Ambrones, nec multo post, altero proelio, Teutones, capto rege eorum Teutobocho, *viro*, ut Florus scribit L. III. c. 3. 10. *proceritatis eximiae, qui super tropaea sua eminebat*, contrivit atque delevit: *in quibus proeliis*, ut legitur in Epit. Liv. L. 68. *caesa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta. Marius absens quintum consul creatus est; triumphum oblatum, donec et Cimbros vinceret, distulit.* Q. autem Catulus, ut ante dixi, Cimbris per Noricum irrumpentibus occurrere iussus, quum Alpes contra tantam hostium multitudinem tutari se non posse videret, in Galliae Cisalpinae finibus Athesim fluvium ex Tridentinis Alpibus defluentem per Venetorum agros in Adriaticum mare, non procul Verona, sibi ad Alpium radices pro fossa et vallo delegit, et eius traiectum ab utraque ripa praesidiis, ponte iniecto, firmavit. Verum Cimbri per nives et saxa Tridentinis iugis provoluti ad Athesis fluenta, non procul a Romanorum castris, Gigantum in morem, arboribus ac scopulis iniectis fluvium avertendo, transitum sibi fecere; pontemque Catuli, deiectis in alveum arboribus vi defluentis fluvii dirupere. Quo terrore compulsi Romani, utriusque ripae praesidia deseruere, quae mox a Cimbris capta sunt: qui utraque ripa potiti tantam Romanis consternationem iniecerunt, ut imperatore suo deserto, spem omnem in fuga ponerent. Multi ex equitibus Romanis recta Romam contenderunt: ex quibus unus ex M. Scauri principis Senatus filiis sibimet mortem conscivit, quum pater ob dedecus fugae vehementer iratus filio advenienti, ne unquam in conspectum suum veniret, nuntiari iussisset. Vid. Frontinus Strateg. L. IV. c. 1. 13. Catulus imperator in eo rerum statu quum diutius continere in castris militem nequiret, sublatis signis, exercitum in tutiora loca ducere coactus est. Interim Cimbri superatis Alpibus planiora Venetorum effusi populantur, ac Teutonum, Ambronum, Tigurinorumque socios exercitus exspectant. Consul Marius rebus in Urbe compositis in provinciam festinat, et suis e Narbonensi Gallia copiis evocatis, cum omni exercitu Q. Catulo Procos. sese iungens contra Cimbros, diem et locum proelii postulantes, non procul Verona (*in campis, quibus nomen erat Raudiis*, ut apud Velleium L. II. c. 12. et Florum L. III. c. 3. 14. legitur, dum Plut. in Mario p. 419. E. nominat πεδίον τὸ περὶ Βερκέλλας), cum hoste congressus fortiter ingenti proelio Cimbros vicit: *in quo*, ut est in Epit. Liv. L. 68. *caesa traduntur hostium centum quadraginta millia, capta sexaginta.* Qua singulari et eximia victoria Cimbricum nomen omnino deletum esse tradunt, qui huius belli historiam scripserunt, Plutarchus in Mario et Sulla, Florus L. III. c. 3. Velleius L. II. c. 12. Orosius L. V. c. 16. Ergo *Marius*, ita porro legitur in Epit. Liv. L. 68. *totius civitatis consensu exceptus, pro duobus triumphis, qui offerebantur, uno contentus fuit. Primores civitatis, qui aliquamdiu ut novo homini, ad tantos honores evecto, inviderant, conservatam ab eo rem publicam fatebantur.*

Praecipua itaque victoriae Cimbricae gloria cessit Mario, nec tamen omnis. Catulus enim, ut scribit Valer. Max. L. IX. c. 12. 4. *Cimbrici triumphi C. Mario particeps a senatu datus est;* quapropter et a Plutarcho in Mario p. 431. F. dicitur Μαρίῳ συνθριαμβεύσας ἀπὸ Κίμβρων: et ex manubiis Cimbricis porticum exstruxit in Palatio, eam quam postea P. Clodius simul cum Ciceronis domo, adiutore Sex. Clodio, ex parte diruit; cuius saepius mentionem facit Cicero, tum alibi, tum ad Attic. L. IV. 2. 4. pro Domo c. 38. Cfr. Valer. Max. L. VI. c. 3. 1.

Catulo igitur, de consulatu et de rebus gestis suis scribenti, satis amplam materiam hoc praebere potuit bellum, cui ipse et interfuit et praefuit una cum Mario, sed minus secunda, quam ille, usus fortuna. Hoc tamen admodum incertum est, quo consilio historiam consulatus sui scripserit: utrum eo ad scribendum se contulerit ut ostenderet, non magis Mario quam sibi deberi partem triumphi, an vero ut obviam iret invidiae Marii, quae iam brevi post actum triumphum videtur excitata, postea autem, exortis turbis civilibus, in quibus Catulus partes Cinnae sequebatur, ita exarsit ut Catulus a Mario iussus sit mori; de qua iniuria scribit Cicero Tusc. V. c. 19. 56. *Utrum tandem beatior C. Marius tum, quum Cimbricae victoriae gloriam cum collegà Catulo communicavit, paene altero Laelio — nam hunc illi duco simillimum — an quum civili bello victor iratus necessariis Catuli deprecantibus non semel respondit sed saepe Moriatur! in quo beatior ille, qui huic nefariae voci paruit, quam is, qui tam scelerate imperavit.* Cfr. de Orat. L. III. c. 3. 9. et de Nat. Deor. L. III. c. 32. 80.

De Catuli morte Historicis inter se non convenit. Vidd. Velleius L. II. c. 22. Valer. Max. L. IX. c. 12. 4. Florus L. III. c. 21. Appianus de B. Civ. L. I. c. 74. Plutarchus in Mario p. 431. F. Augustinus de Civ. Dei L. III. c. 27.

Cffr. **Vossius**, de Hist. Lat. L. I. c. 9. **Funccius**, de Adolescentia L. L. c. V. §. XXI. p. 197. **Krause** p. 232. **Westermann**, §. 45. p. 103. **Meyer**, §. XLIV. p. 270. **Ellendt**, §. 24. p. 54. sqq. **Bähr**, §. 197. T. II. p. 22. quibus addatur I. R. **Thorbecke**, Comment. de perfecto Oratore ex sententia Ciceronis p. 34. sq. de Catulo disputans utpote uno eorum qui in Dialogo de Oratore loquentes inducuntur.

Fragmenta.

Ex Catuli libro nullum omnino a scriptoribus Latinis servatum est fragmentum. Fortasse tamen inde fluxerunt ea quae narrat

(*Plutarch. in Mario p. 420. F.*) Οὕτω δ' ἦσαν διάπονοι τὰ σώματα καὶ κατηθληκότες, ὡς μήτε ἱδροῦντά τινα, μήτε ἀσθμαίνοντα Ῥωμαίων ὀφθῆναι, διὰ πνίγους τοσούτου καὶ μετὰ δρόμου τῆς συῤῥάξεως γενομένης· ὡς τὸν Κάτλον αὐτὸν ἱστορεῖν λέγουσι μεγαλύνοντα τοὺς στρατιώτας.

Ad h. l. tenendum est quod monet Heerenius de Fontibus et auctoritate Vitarum parallelarum Plutarchi p. 149. *Catulum, Marii collegam, consulatum suum proprio commentario descripsisse, testem habemus Ciceronem in Bruto c. 35. Scripserat vero latine; Plutarchus vero num ipse illum inspexerit, an vero ex aliorum testimoniis sua hauserit, dubitare licet; siquidem* »alios tradere, *ait*, Catulum haec illave enarrasse."

§. 4. L. Cornelius Sulla.

His accedat L. Cornelius Sulla. Hic enim, qui propter res domi forisque gestas tantum in historia rei publicae Romanae consecutus est nomen, ut eum *neque laudare neque vituperare quisquam satis digne possit*, ut scribit Valer. Max. L. IX. c. 2. 4. non solum fuit, teste Sallustio in Iug. c. 95. *literis Graecis atque Latinis iuxta atque doctissime eruditus*, sed etiam locum sibi vindicat inter scriptores Latinos. Etenim Dictatura quum sese abdicasset a. 675. et Neapolin concessisset, per biennium illud, quod ibi in villa sua degit, Sulla commentarios scripsit de Vita Sua; qui a Gellio *Rerum gestarum libri* vocantur: item a Prisciano, qui citat librum XXI. Plutarchus saepius citat Sullam ἐν τοῖς Ὑπομνήμασι: Cicero autem hunc librum vocat *Sullae Historiam*, si scilicet lectio vera sit; nam in antiquissimis Editionibus de Divinat. L. I. c. 33. 72. pro *Sullae*, legitur *Sisennae Historia.*

Scriptum suum Sulla dedicavit Lucullo, quocum familiarissime vixit, ea conditione ut id digereret ac perpoliret, quemadmodum narrat Plutarchus in Lucull. p. 491. E. ὁ δὲ Λούκουλλος ἤσκητο καὶ λέγειν ἱκανῶς ἑκατέραν γλῶτταν, ὥστε καὶ Σύλλας τὰς αὑτοῦ πράξεις ἀναγράφων, ἐκείνῳ προσεφώνησεν ὡς συνταξομένῳ καὶ διαθήσοντι τὴν ἱστορίαν ἄμεινον. Ex eodem Plutarcho novimus Sullam ad ultimum usque vitae tempus in conscribendis rebus suis fuisse occupatum; sic enim legimus in Sulla p. 475. A. ὁ δὲ Σύλλας οὐ μόνον προέγνω τὴν ἑαυτοῦ τελευτήν, ἀλλὰ τρόπον τινὰ καὶ γέγραφε περὶ αὐτῆς· τὸ γὰρ εἰκοστὸν καὶ δεύτερον τῶν Ὑπομνημάτων πρὸ δυεῖν ἡμερῶν, ᾗ ἐτελεύτα, γράφων ἐπαύσατο. Librum autem imperfectum supplevit Epicadus, de quo scribit Suetonius de Illustr. Gramm. c. 12. *Cornelius Epicadus, L. Corn. Sullae dictatoris libertus, calatorque in sacerdotio augurali, ei filioque eius Fausto gratissimus fuit: quare nunquam non utriusque se libertum edidit. Librum autem, quem Sulla novissimum de rebus suis imperfectum reliquerat, ipse supplevit.*

Argumentum horum Commentariorum quo facilius appareat, non abs re fore arbitror, si levibus saltem lineis ipsam Sullae vitam adumbrem.

Sullae igitur adolescentia in ea tempora incidit, quibus acerrimum Romanis bellum fuit cum Iugurtha, Numidiae rege. Quod quum decretum esset Mario primum consuli a. 647. Sulla aetatis annum agens XXXI. Quaestor creatus, Marium in Africam comitatus est. Hic autem rudis antea et ignarus belli, in paucis tempestatibus factus est solertissimus omnium. Et missus a Mario legatus ad Bocchum, huic suadet ut Iugurtham tradat Romanis. Post varias igitur tergiversationes tandem Iugurtha Sullae vinctus traditur et ab eo ad Marium deductus est. Vid. Sallust. in Iug. c. 95. 96. 111. 113.

Inde autem quae Sullae nata erat gloria, quamvis Marium affligeret, Marius tamen in secundo consulatu Sullam legatum, et in tertio tribunum militum secum habere non dubitavit. Et legatus quidem, teste Plutarcho in Sull. p. 452. F. ducem Tectosagarum Copillum cepit, in tribunatu

Marsos, gentem magnam et numerosam, ad amicitiam et societatem a populo Romano petendam impulit.

Nec minorem gloriam adeptus est in bello Cimbrico, quum, relictis Marii castris, contulisset se ad alterum consulem Q. Lutatium Catulum. Huius enim exercitus quum inopia commeatus laboraret, Sulla, suscepta procuratione tantam brevi tempore praestitit frumenti copiam, ut Catuli milites non tantum ipsi frumento abundarent, verum etiam haberent, unde Marii militibus, summa inopia pressis, possent praebere. Vid. Plut. in Sull. p. 452. F.

At Sulla gloriam, quam bello quaesierat, ratus ad negotia urbana abunde esse, confestim a militia traduxit se ad populum ambiendum; et, Aedilitatem praetergressus, Praeturam petere sustinuit a. 660. Sed, quamvis Sulla, post tot in patriam merita, potuisset optima quaeque a populo sperare, tulit tamen repulsam. Vid. Valer. Max. L. VIII. c. 5. 5. cuius repulsae causam ipse quidem, teste Plutarcho in Sulla p. 453. C. opinabatur hanc esse, quod populus propter cognitam, quae sibi esset cum Boccho, Mauritaniae rege, familiaritatem, exspectasset futurum fuisse, ut, si ante Praeturam Aedilis fuisset factus, munera splendida et venationes ederet Africanas.

Anno autem sequenti, emeritus populi favorem partim blandimentis, partim largitionibus, ad Praeturam pervenit, *primusque*, ut Seneca scribit de Brevit. vitae c. 13. 5. *in Circo leones solutos dedit, quum alioquin alligati darentur, ad conficiendos eos missis a rege Boccho iaculatoribus.*

Expleto Praeturae suae anno, Sulla legatus in Cappadociam mittitur specioso expeditionis titulo ad Ariobarzanem in regnum reducendum. Hic iterum Sulla rei militaris gloria excelluit. Profectus enim cum parvis copiis praetoriis, sed contractis mox magnis sociorum auxiliis, Gordium eiecit, Ariobarzanem restituit. In qua expeditione nova ei obtigit gloria: scilicet *Parthorum legati*, ut est in Epitome Liv. L. 70. *a rege Arsace missi, venerunt ad Sullam, ut amicitiam populi Romani peterent.* Rebus igitur praeclare gestis Sulla nomen sibi comparavit ducis apud cives magni, apud socios maximi, et fortunatissimi vel apud hostes. Quam quidem felicitatis suae faventisque sibi fortunae opinionem non modo lubens recipiebat, sed eam etiam in maius tollebat et facta sua fortunae ferebat accepta, dicens, quae non consulte sed ex tempore aggressus esset temere, ea rectius cecidisse, quam quae deliberasse sibi visus esset mature; nihilque se perinde firmum ducere, ac quod in somnis noctu iuberet deus. Vid. Plut. in Sulla p. 454. C. et in Lucull. p. 507. E.

Secutum est bellum Sociale sive Marsicum, ad quod profecti coss. L. Sextus Caesar, P. Rutilius Lupus a. 664. hic Marium, ille Sullam, sibi habuit legatum. Hoc bellum, quod cladium varietate et fortunae vicissitudine fuit ut nullum aliud insigne, quantum Sullae adiecit splendoris et opum, tantum Mario detraxit, ut scribit Plut. in Mario p. 424. C. Hic enim, amisso iam vigore pristino, et post actos tot triumphos, gestosque tot consulatus, fortunae varietatem extimescens, ad proelia erat segnior. Sulla vero, augendae suae gloriae intentus et felicitate sua fretus, hostes continuo ad proelium provocabat; Marsorum, qui nunquam antea a Romanis erant victi, supra sex millia cecidit, Cluentium, Samnitium ducem, apud Nolam vicit, Stabias delevit, Bovianum vi cepit et graminea ab exercitu corona donatus est; vid. Appianus de B. Civ. L. I. c. 39. sqq. Plinius L. III. c. 5. et L. XXII. c. 6. Satis fecit igitur plenissime exspectationi, quam de se dederat Urbis portam egrediens. Tum enim, ut Plutarchus p. 454. E. ex ipsis Sullae commentariis memorat, quum visum esset portentum, quo vates dixerant significari Romam a magno viro, si imperium nactus esset, liberatum iri, Sulla non erubuerat dicere, se illum esse, qui significaretur, virum.

Post tot egregia patriae suae praestita beneficia, Sulla sperans fore ut facile ad Consulatum perveniret, sub ipsum comitiorum tempus, relictis castris apud Nolam, quantisque raro quisquam alius ante consulatum rebus gestis, ad petitionem consulatus Romam est profectus. Neque haec spes eum fefellit; nam, ut Velleius scribit L. II. c. 17. *petens Consulatum, paene omnium civium suffragiis factus est, undequinquagesimo aetatis suae anno.* In qua dignitate vidit, propter imminens bellum Mithridaticum, novam iterum sibi dari gloriae comparandae copiam. Scilicet *per ea tempora*, ita pergit Velleius L. II. c. 18. *Mithridates, Ponticus rex, vir neque silendus, neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal, occupata Asia, necatisque in ea omnibus civibus Romanis, terribilis Italiae quoque videbatur imminere.*

Quum autem Sulla, sorte provinciam Asiam nactus et iam Urbe egressus circa Nolam mora-

retur, P. Sulpicius, tribunus plebis, legem tulit ad populum, qua Sullae imperium abrogaretur, et C. Mario, post LXX. annum omnia imperia et omnes provincias concupiscenti, extra ordinem decerneretur bellum Mithridaticum. Tum Sulla, contracto exercitu ad Urbem redit, eamque armis occupat, legem Sulpicii tollit, eiusque auctorem cum C. Mario et decem aliis hostes a Senatu iudicari iubet; deinde ad bellum cum Mithridate gerendum proficiscitur. Ergo cum quinque legionibus profectus, per Thessaliam atque Aetoliam pecuniis, auxiliis et commeatibus contractis, Boeotiisque, qui ad Mithridatem defecerant, in fidem receptis, contendit in Atticam, Piraeumque oppugnavit, ut Archelao resisteret, quem Mithridates cum exercitu in Graeciam miserat ut Athenas occuparet. Sulla audito, quo facillime loco urbs capi posset, Athenas Kalendis Martiis a. 667. vi expugnavit, pulso Archelao. Hinc, ne per regionis sterilitatem inopia premeretur, Atticam reliquit, et translato in Boeotiam bello, Archelaum, quamvis militum numero longe superiorem, ad Chaeroneam acerrimo proelio fudit: in quo quum caesus esset magnus hostium numerus, Sulla, uti quidem ipse memoriae prodidit, secundum Plutarchum in Sull. p. 464. E. ex suis duodecim tantum desideravit. Thebanos deinde, quibus infestissimus erat, male mulctavit, et, deletis ad Orchomenum Archelai copiis et Dorylai, alterius hostium ducis, direptisque Boeotiae oppidis, in Thessaliam hiematum se contulit. Sequenti autem anno, quum Archelaus nuntiasset Sullae, velle se de pace agere, conventu apud Delium habito, de pacis conditionibus inter eos convenit: deinde etiam cum Mithridate congressum habuit Dardani in Troade, in quo Sulla vere Romano et superbi victoris more se gessit. Utrumque colloquium, servatum a Plutarcho, mox referemus inter Fragmenta, utpote facile credentes Heerenio de Fontib. et auctor. Vitar. Parall. Plutarchi p. 152. opinanti Plutarchum ista, quamquam non nominato fonte, hausisse ex ipsis Sullae commentariis.

Finito igitur intra triennium bello acerrimo, quominus confestim in patriam rediret Sulla, turbae impediverunt civiles. *Fuit* enim, ut Cicero scribit in Bruto c. 63. 227. *inter profectionem reditumque Sullae, sine iure et sine ulla dignitate res publica.* Post multas igitur demum pugnas, a. 672. altera vice Urbem ex inimicorum manibus recepit: Marium erumpere tentantem repulit: Carbonem Italia expulit: recuperataque re publica, pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo hominum fuit, inquinavit; octo millibus deditorum in villa publica trucidatis, proscriptionisque tabula proposita, Urbem ac totam Italiam caedibus replevit. Quo facto quum omnes Sullam extimescerent, omnia Sullae acta tam Consulis quam Proconsulis rata habita sunt ex S. C. Iam vero quum res publica careret consulibus, quandoquidem Carbo in Sicilia, Marius Praeneste perierat, Sulla libertatis speciem servare volens, paulisper ex Urbe secessit, iusso Senatu creare Interregem, comitiorum habendorum causa.

Creato mox Interregi L. Valerio Flacco, qui princeps erat Senatus, teste Appiano de B. Civ. L. I. c. 98. Sulla scripsit, referret ad populum *Sullae videri e re publica*, *in praesenti rerum statu Dictatorem dici;* addens in fine epistolae, *videri sibi*, *neminis in ea etiam re operam*, *quam sui ipsius*, *utiliorem fore rei publicae.* Populus igitur, quum nihil Sullae recusare auderet, Dictatorem eum creari passus est. *Videbantur*, inquit Vellcius L. II. c. 28. *finita belli civilis mala*, *quum Sullae crudelitate aucta sunt. Quippe Dictator creatus imperio*, *quo priores Dictatores ad vindicandam maximis periculis rem publicam usi erant*, *eo in immodicam crudelitatis licentiam usus est.* Ergo legibus novis rei publicae statum confirmavit: tribunorum potestatem minuit, ut auxilii latio iis relinqueretur, ius legum ferendarum, maiorumque magistratuum petendorum adimeretur; senatum ex equestri ordine supplevit, eique restituit iudicia; pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim, iussitque ut sacerdotes et pontifex maximus a collegio coöptarentur; proscriptorum liberis eripuit ius petendorum honorum, et bona eorum vendidit. Ceteroquin antiquam rei publicae formam servans, passus est in a. 673. antiquo more consules creari M. Tullium Deculam et Cn. Cornelium Dolabellam: eamque dignitatem ipse quoque obtinuit anno proximo, collegam habens Q. Caecilium Metellum Pium.

Denique constituta re publica ultro Dictatura se abdicavit a. 675. et in praedia sua prope Neapolin secessit, victurus reliquam vitam privatus. Sed iam proximo anno Puteolis mortuus est φθειριάσει, LX. annos natus, et magnifice Romae in Campo Martio sepultus est.

In hoc quidem secessu Sulla scripsisse videtur Rerum suarum Commentarios, quibus Plutarchus in enarranda Sullae vita usus est frequentissime, modo nominans, modo non nominans, ex quo hauriret fonte, ut docte disputavit Heerenius de Fontib. et auct. vit. parall. Plutarchi p. 150 sqq.

In eo autem falli opinor Heerenium, quod scribit Sullae libros Graece fuisse compositos; *quo ipso,* inquit, *maxime Plutarcho facilis ad eos aditus patebat:* fragmenta enim, quae inde servavit Gellius et Priscianus, satis abunde docent eos Commentarios fuisse Latino sermone conscriptos. Tum quoque minus recte ab eodem scribitur: *Profectus itaque a bello Sociali, quod leviter tantum perstrinxisse videtur, quae hoc exceperunt dissensiones ac mox certamina cum Mario, bellum Mithridaticum primum, ac eo finito bellum Civile in Italia copiose enarravit; num quae in Dictatura gesserat adhuc exposuerit, incertum est.* Neque enim a bello Sociali demum initium scribendi fecisse censendus est Sulla, sed sine dubio, non tantum de Praetura sua, sed etiam de rebus suis in bello Cimbrico gestis exposuit; quin etiam, ut vel ipsa quae supersunt Fragmenta docent, tempora videtur attigisse multo priora et gentis suae fata memorasse, quae, orta ex stirpe patricia nobilissima et antiquissima, post redacta erat ad paupertatem.

Quod si vero causas quaeramus, quae Sullam ad scribendum impulerint, quamquam haud ita facile est in tanto Veterum silentio quidquam certi statuere, suspicor tamen, in Sulla nonnihil valuisse gloriae studium: cuius ipsum fuisse cupidiorem et scribit Sallust. in Iug. c. 95. et vero apparuit tum ex aliis eius factis, tum ex eo quod narrat Cicero pro Arch. c. 10. 25. *Sullam nos in concione vidimus*, inquit, *quum ei libellum malus poëta de populo subiecisset, quod epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus longiusculis, statim ex iis rebus, quas tunc vendebat, iubere ei praemium tribui, sed ea conditione: ne quid postea scriberet.* Idque gloriae studium fortasse fuit in causa quod Alexandrum Polyhistorem donaverit civitate, ut legitur in Servii scholiis ad Virgil. Aen. X. 388. quemadmodum Marius eximie dilexit L. Plotium, *cuius ingenio putabat ea, quae gesserat, posse celebrari*, ut scribit Cicero pro Arch. c. 9. 20. In primis vero hoc videtur Sullam ad scribendum de rebus suis incitavisse, quod deposita Dictatura quum plurimorum animos videret infensos, quorum aut bona iussisset publicari, aut parentes vel necari vel in exsilium eiici, res a se gestas voluerit excusare. Videbatur enim sibi crudelitatem suam posse excusare; quin etiam Appianus de B. Civ. L. I. c. 104. narrat Sullam, quum magistratum deponeret, dixisse pro concione, paratum se esse, si quis peteret, actorum suorum reddere rationem. Sed erant etiam sine dubio multi, quibus iure suo Sullana dominatio gloriari poterat, fructus haud contemnendi. Nec enim tantummodo cohibuerat rerum novarum cupidos: quapropter laudatur a Caesare apud Sallust. Catil. c. 51. 32. *Nostra memoria*, inquit, *victor Sulla quum Damasippum et alios huiusmodi, qui malo rei publicae creverant, iugulari iussit, quis non factum eius laudabat?* sed restituerat etiam veterem rei publicae formam: quamobrem Quintus Cicero in opere de Legib. L. III. c. 9. 22. *Sullam*, inquit, *vehementer probo, qui tribunis plebis sua lege iniuriae faciendae potestatem ademerit, auxilii ferendi reliquerit:* et expiaverat Romanorum luxuriam, ut scribit Plinius L. XXXIII. c. 51. (11): adde denique leges, quibus plurimum contulit ad constituendam certiorem rationem universi iuris Romani.

Cffr. Vossius, de Hist. Lat. L. I. c. 9. Funccius, de Virili L. L. aetate c. II. §. IV. p. 86. Krause, p. 290. Bähr, §. 197. T. II. p. 23. H. M. Vockestaert, Dissert. Hist. Iurid. de L. Cornelio Sulla Legislatore, *Lugd. Bat.* 1816. p. 85. Praeterea de Sulla scripserunt multi alii, quorum tamen libros nomine tantum nosco, v. c. Zachariae, der Dictator L. Cornelius Sulla. *Heidelb.* 1834. 2 Voll. 8°. Alex. Wittich, de rei publicae Romanae ea forma, qua L. Cornelius Sulla dictator totam rem Romanam ordinibus, magistratibus, comitiis commutavit. *Lipsiae* 1834. 8°. Chr. H. Elsner, Dissertatio de Quaestione proposita: Condicio Romanae rei publicae VII. U. C. seculo ita describatur, ut causae et exitus bellorum civilium inde cognoscantur. *Stuttgartiae* 1835. 8°. C. Ramshorn, Quaestio philologica de rei publicae Romanae forma, qua L. Cornelius Sulla dictator totam rem Romanam ordinibus, magistratibus, comitiis commutavit. *Lipsiae* 1835. 8°.

Fragmenta.

Lib. II.

(*Gellius L. I. c.* 12. 16.) L. Sulla Rerum Gestarum libro secundo ita scripsit: P. Cornelius, cui primum cognomen Sullae impositum est, flamen Dialis captus.

(*Gellius L. XX. c.* 6. 3.) L. Sulla Rerum Gestarum libro secundo: Quo si fieri potest, ut

etiam nunc nostri vobis in mentem veniat: nosque magis dignos creditis, quibus civibus, quam hostibus utamini: quique pro vobis potius quam contra vos pugnemus: neque nostro, neque maiorum nostrorum merito nobis id continget.

† (*Plut. in Sulla c. 4. p. 452. F.*) *Ἐκ δὲ τούτων, τὸν Μάριον αἰσθόμενος ἀχθόμενον αὐτῷ, καὶ μηκέτι προϊέμενον ἡδέως πράξεων ἀφορμάς, ἀλλ' ἐνιστάμενον τῇ αὐξήσει, Κάτλῳ, τῷ συνάρχοντι τοῦ Μαρίου, προςένειμεν ἑαυτὸν, ἀνδρὶ χρηστῷ μὲν, ἀμβλυτέρῳ δὲ πρὸς ἀγῶνας. ὑφ' οὗ τὰ πρῶτα καὶ μέγιστα πιστευόμενος, εἰς δύναμιν ἅμα δόξῃ προήει. καὶ πολέμῳ μὲν αἱρεῖ πολὺ μέρος τῶν ἐν ταῖς Ἄλπεσι βαρβάρων· ἐπιλιπούσης δὲ τῆς ἀγορᾶς, ἀναδεξάμενος τὴν ἐπιμέλειαν, τοσαύτην ἐποίησε περιουσίαν, ὥστε τῶν Κάτλου στρατιωτῶν ἐν ἀφθόνοις διαγόντων, καὶ τοῖς Μαρίου προςπαρασχεῖν. ἐφ' ᾧ φησὶν αὐτὸς ἰσχυρῶς ἀνιάσαι τὸν Μάριον.*

† (*Plut. in Mario c. 25. p. 419. E.*) *Βοιῶριξ δὲ ὁ τῶν Κίμβρων βασιλεὺς ὀλιγοστὸς προςπιπτεύσας τῷ στρατοπέδῳ, προὐκαλεῖτο τὸν Μάριον, ἡμέραν ὁρίσαντα καὶ τόπον, προελθεῖν καὶ διαγωνίσασθαι περὶ τῆς χώρας. τοῦ δὲ Μαρίου φήσαντος οὐδέποτε Ῥωμαίους συμβούλοις κεχρῆσθαι περὶ μάχης τοῖς πολεμίοις, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ χαριεῖσθαι τοῦτο Κίμβροις, ἡμέραν μὲν ἔθεντο τὴν ἀπ' ἐκείνης τρίτην, χώραν τε καὶ πεδίον τὸ περὶ Βερκέλλας, Ῥωμαίοις μὲν ἐπιτήδειον ἐνιππάσασθαι, τῶν δὲ ἀνάχυσιν τῷ πλήθει παρασχεῖν. Τηρήσαντες οὖν τὸν ὡρισμένον χρόνον, ἀντιπαρετάσσοντο, Κάτλος μὲν, ἔχων δισμυρίους καὶ τριακοσίους στρατιώτας· οἱ δὲ Μαρίου, δισχίλιοι μὲν ἐπὶ τρισμυρίοις ἐγίνοντο, περιέσχον δὲ τὸν Κάτλον ἐν μέσῳ νεμηθέντες εἰς ἑκάτερον κέρας, ὡς Σύλλας ἠγωνισμένος ἐκείνην τὴν μάχην γέγραφε.*

† (*Plut. in Mario c. 26. p. 420. C.*) *Ἐνταῦθα νιψάμενος ὁ Μάριος τὰς χεῖρας καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀνασχὼν, ηὔξατο τοῖς θεοῖς κατὰ ἑκατόμβης· εὔξατο δὲ καὶ Κάτλος, ὁμοίως ἀνασχὼν τὰς χεῖρας, καθιερώσειν τὴν τύχην τῆς ἡμέρας ἐκείνης. τὸν δὲ Μάριον καὶ θύσαντα λέγεται, τῶν ἱερῶν αὐτῷ δειχθέντων, μέγα φθεγξάμενον εἰπεῖν· Ἐμὴ νίκη. γενομένης δὲ τῆς ἐφόδου, πρᾶγμα νεμεσητὸν παθεῖν τὸν Μάριον οἱ περὶ Σύλλαν ἱστοροῦσι. κονιορτοῦ γὰρ ἀρθέντος, οἷον εἰκὸς, ἀπλέτου, καὶ τῶν στρατοπέδων ἀποκεκρυμμένων, ἐκεῖνον μὲν, ὡς τὸ πρῶτον ὥρμησε πρὸς τὴν δίωξιν ἐπισπασάμενον τὴν δύναμιν, ἀστοχῆσαι τῶν πολεμίων, καὶ παρενεχθέντα τῆς φάλαγγος ἐν τῷ πεδίῳ διαφέρεσθαι πολὺν ἤδη χρόνον· τῷ δὲ Κάτλῳ τοὺς βαρβάρους ἀπὸ τύχης συῤῥαγῆναι, καὶ γενέσθαι τὸν ἀγῶνα κατ' ἐκεῖνον καὶ τοὺς ἐκείνου μάλιστα στρατιώτας, ἐν οἷς αὐτὸς ὁ Σύλλας τετάχθαι φησί. συναγωνίσασθαι δὲ τοῖς Ῥωμαίοις τὸ καῦμα καὶ τὸν ἥλιον ἀντιλάμποντα τοῖς Κίμβροις.*

† (*Plut. in Sulla c. 5. p. 453. C.*) *Ὁ δὲ Σύλλας ἐπὶ στρατηγίαν πολιτικὴν ἀπεγράψατο, καὶ διεψεύσθη· τὴν δ' αἰτίαν τοῖς ὄχλοις ἀνατίθησι. φησὶ γὰρ αὐτοὺς, εἰδότας τὴν πρὸς Βόκχον φιλίαν, καὶ προςδεχομένους, εἰ πρὸ τῆς στρατηγίας ἀγορανομήσει, κυνηγέσια λαμπρὰ, καὶ Λιβυκῶν ἀγῶνας θηρίων, ἑτέρους ἀποδεῖξαι στρατηγοὺς, ὡς αὐτὸν ἀγορανομεῖν ἀναγκάσοντας.*

† (*Plut. in Sulla c. 6. p. 454. C.*) *Σύλλας δ' οὐ μόνον ἡδέως προςιέμενος τὸν τοιοῦτον εὐδαιμονισμὸν καὶ ζῆλον, ἀλλὰ καὶ συναύξων καὶ συνεπιθειάζων τὰ πραττόμενα, τῆς τύχης ἐξῆπτεν, εἴτε κόμπῳ χρώμενος, εἴθ' οὕτως ἔχων τῇ δόξῃ πρὸς τὸ θεῖον. καὶ γὰρ ἐν τοῖς Ὑπομνήμασι γέγραφεν, ὅτι τῶν καλῶς αὐτῷ βεβουλεῦσθαι δοκούντων αἱ μὴ κατὰ γνώμην, ἀλλὰ πρὸς καιρὸν ἀποτολμώμεναι πράξεις ἔπιπτον εἰς ἄμεινον.*

† (*Plut. in Lucull. c. 23. p. 507. A.*) *Παρῄνει δὲ διὰ τῶν Ὑπομνημάτων ἐκεῖνος, μηδὲν οὕτως ἀξιόπιστον ἡγεῖσθαι καὶ βέβαιον, ὡς ὅ τι ἂν ἀποσημανθῇ διὰ τῶν ἐνυπνίων.*

† (*Plut. in Sulla c. 6. p. 454. E.*) *Ἔτι δὲ Λευκούλλῳ μὲν ἐν τοῖς Ὑπομνήμασιν, ὧν ἐκείνῳ τὴν γραφὴν ἀνατέθεικε, παραινεῖ μηδὲν οὕτως ἡγεῖσθαι βέβαιον, ὡς ὅ τι ἂν αὐτῷ προστάξῃ νύκτωρ τὸ δαιμόνιον. Ἐκπεμπομένου δ' αὐτοῦ μετὰ δυνάμεως εἰς τὸν Συμμαχικὸν πόλεμον, ἱστορεῖ χάσμα τῆς γῆς μέγα γενέσθαι περὶ Λαβέρνιν· ἐκ δὲ τούτου πῦρ ἀναβλύσαι πολὺ, καὶ φλόγα λαμπρὰν στηρίξαι πρὸς τὸν οὐρανόν· εἰπεῖν δὴ καὶ τοὺς μάντεις, ὡς ἀνὴρ ἀγαθὸς, ὄψει διάφορος καὶ περιττὸς, ἄρξας ἀπαλλάξει τῇ πόλει ταραχὰς τὰς παρούσας. τοῦτον δὲ αὐτὸν εἶναί φησιν ὁ Σύλλας· τῆς μὲν γὰρ ὄψεως ἴδιον εἶναι τὸ περὶ τὴν κόμην χρυσωπὸν, ἀρετὴν δ' οὐκ αἰσχύνεσθαι μαρτυρῶν ἑαυτῷ, μετὰ πράξεις οὕτω καλὰς καὶ μεγάλας.*

† (*Cicero de Divinat. L. I. c. 33. 72.*) Ut in Sullae scriptum historia videmus, quod te inspectante factum est, ut, quum ille in agro Nolano immolaret ante praetorium, ab infima ara subito anguis emergeret; quum quidem C. Postumius haruspex oraret illum, ut in expeditionem exercitum educeret: id quum Sulla fecisset, tum ante oppidum Nolam florentissima Samnitium castra cepit.

† (*Plinius H. N. L. XXII. c. 6.*) Scripsit et Sulla dictator, ab exercitu se quoque [corona graminea] donatum apud Nolam, legatum bello Marsico.

† (*Plut. in Mario c.* 35. *p.* 424. *E. sq.*) Ἐπεὶ δὲ ἤδη τῶν Ἰταλικῶν ἐγκεκληκότων, ἐμνηστεύοντο πολλοὶ τὸν Μιθριδατικὸν πόλεμον ἐν Ῥώμῃ διὰ τῶν δημαγωγῶν, παρὰ πᾶσαν ἐλπίδα Σουλπίκιος δήμαρχος, ἀνὴρ θρασύτατος, παραγαγὼν Μάριον, ἀπεδείκνυεν ἀνθύπατον στρατηγὸν ἐπὶ Μιθριδάτην. καὶ ὁ δῆμος διέστη τῶν μὲν, αἱρουμένων τὰ Μαρίου, τῶν δὲ, Σύλλαν καλούντων --- Ἐπελθὼν δὲ μεθ᾽ ὅπλων ἐκκλησιάζουσι τοῖς ὑπάτοις, τοῦ μὲν ἑτέρου φυγόντος ἐξ ἀγορᾶς τὸν υἱὸν ἐγκαταλαβὼν ἀπέσφαξε· Σύλλας δὲ παρὰ τὴν οἰκίαν τοῦ Μαρίου διωκόμενος, οὐδενὸς ἂν προςδοκήσαντος εἰςέπεσε· καὶ τοὺς μὲν διώκοντας ἔλαθε δρόμῳ παρενεχθέντας, ὑπ᾽ αὐτοῦ δὲ Μαρίου λέγεται κατὰ θύρας ἑτέρας ἀσφαλῶς ἀποπεμφθεὶς, διεκπεσεῖν εἰς τὸ στρατόπεδον. αὐτὸς δὲ Σύλλας ἐν τοῖς Ὑπομνήμασιν οὔ φησι καταφυγεῖν πρὸς τὸν Μάριον, ἀλλ᾽ ἀπαχθῆναι βουλευσόμενος ὑπὲρ ὧν Σουλπίκιος ἠνάγκαζεν αὐτὸν ἄκοντα ψηφίσασθαι, περισχὼν ἐν κύκλῳ ξίφεσι γυμνοῖς, καὶ συνελάσας πρὸς τὸν Μάριον· ἄχρις οὗ προελθὼν ἐκεῖθεν εἰς ἀγορὰν, ὡς ἠξίουν ἐκεῖνοι, τὰς πράξεις ἔλυσε.

† (*Plut. in Sull. c.* 14. *p.* 460. *D.*) Λέγει δὲ αὐτὸς ὁ Σύλλας ἐν τοῖς Ὑπομνήμασι, τὸν πρῶτον ἐπιβάντα τοῦ τείχους, Μάρκον Τήϊον, ἀντιστάντος αὐτῷ πολεμίου, δόντα πληγὴν ἐκ καταφορᾶς τῷ κράνει περικλάσαι τὸ ξίφος, οὐ μὴν ὑφέσθαι τῆς χώρας, ἀλλὰ μεῖναι καὶ κατασχεῖν.

† (*Plut. in Sulla c.* 14. *p.* 461. *A.*) Ἑλεῖν δὲ τὰς Ἀθήνας αὐτός φησιν ἐν τοῖς Ὑπομνήμασι, Μαρτίαις Καλάνδαις.

† (*Plut. in Sulla c.* 16. *p.* 461. *E.*) Γενόμενοι δὲ κοινῇ, καταλαμβάνονται βουνὸν ἐκ μέσων ἑστῶτα τῶν Ἐλατικῶν πεδίων, εὔγεων καὶ ἀμφιλαφῆ, καὶ παρὰ τὴν ῥίζαν ὕδωρ ἔχοντα· Φιλοβοιωτὸς καλεῖται, καὶ τὴν φύσιν αὐτοῦ καὶ τὴν θέσιν ἐπαινεῖ θαυμασίως ὁ Σύλλας.

L i b. X.

(*Plut. in Sulla c.* 17. *p.* 462. *E.*) Ἐκ δὲ Λεβαδείας καὶ τοῦ Τροφωνίου φῆμαί τε χρησταὶ καὶ νικηφόρα μαντεύματα τοῖς Ῥωμαίοις ἐξεπέμποντο. περὶ ὧν οἱ μὲν ἐπιχώριοι πλείονα λέγουσιν· ὡς δὲ Σύλλας αὐτὸς ἐν τῷ δεκάτῳ τῶν Ὑπομνημάτων γέγραφε, Κόϊντος Τίτιος, οὐκ ἀφανὴς ἀνὴρ τῶν ἐν τῇ Ἑλλάδι πραγματευομένων, ἧκε πρὸς αὐτὸν, ἤδη τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ νενικηκότα μάχην, παραγγέλλων, ὅτι καὶ δευτέραν ὁ Τροφώνιος αὐτόθι μάχην καὶ νίκην προσημαίνει ἐντὸς ὀλίγου χρόνου.

† (*Plut. in Sulla c.* 19. *p.* 464. *E.*) Ὁ δὲ Σύλλας λέγει, τέσσαρας καὶ δέκα ἐπιζητῆσαι τῶν αὐτοῦ στρατιωτῶν, εἶτα καὶ τούτων δύο πρὸς τὴν ἑσπέραν παραγενέσθαι. διὸ καὶ τοῖς τροπαίοις ἐπέγραψεν Ἄρη καὶ Νίκην καὶ Ἀφροδίτην, ὡς οὐχ ἧττον εὐτυχίᾳ κατορθώσας, ἢ δεινότητι καὶ δυνάμει, τὸν πόλεμον.

† (*Plut. in Sulla c.* 22. *p.* 466. *B.*) Συνῆλθον ἐπὶ θαλάττῃ περὶ Δήλιον, οὗ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνός ἐστιν. ἀρξαμένου δὲ τοῦ Ἀρχελάου διαλέγεσθαι καὶ τὸν Σύλλαν ἀξιοῦντος, ἀφέντα τὴν Ἀσίαν καὶ τὸν Πόντον, ἐπὶ τὸν ἐν Ῥώμῃ πόλεμον πλεῖν, χρήματα λαβόντα καὶ τριήρεις καὶ δύναμιν, ὅσην βούλοιτο παρὰ τοῦ βασιλέως· ὑπολαβὼν ὁ Σύλλας· Μιθριδάτου μὲν ἀμελεῖν ἐκέλευεν, αὐτὸν δὲ βασιλεύειν ἀντ᾽ ἐκείνου, σύμμαχον Ῥωμαίων γενόμενον, καὶ παραδόντα τὰς ναῦς. ἀφοσιουμένου δὲ τοῦ Ἀρχελάου τὴν προδοσίαν· Εἶτα, ἔφη, σὺ μὲν, ὦ Ἀρχέλαε, Καππαδόκης ὢν, καὶ βαρβάρου βασιλέως δοῦλος, εἰ δὲ βούλει, φίλος, οὐχ ὑπομένεις ἐπὶ τηλικούτοις ἀγαθοῖς τὸ αἰσχρόν; ἐμοὶ δὲ ἡγεμόνι Ῥωμαίων ὄντι καὶ Σύλλᾳ, τολμᾷς διαλέγεσθαι περὶ προδοσίας; ὥςπερ οὐκ ἐκεῖνος ὢν Ἀρχέλαος, ὁ φυγὼν μὲν ἐκ Χαιρωνείας ὀλιγοστὸς ἀπὸ μυριάδων δυοκαίδεκα, κρυφεὶς δὲ δύο ἡμέρας ἐν τοῖς Ὀρχομενίων ἕλεσιν, ἄβατον δὲ τὴν Βοιωτίαν ὑπὸ νεκρῶν πλήθους ἀπολελοιπώς; Ἐκ τούτου μεταβαλὼν ὁ Ἀρχέλαος καὶ προςκυνήσας, ἐδεῖτο παύσασθαι τοῦ πολέμου, καὶ διαλλαγῆναι πρὸς τὸν Μιθριδάτην.

† (*Plut. in Sulla c.* 23. *p.* 466. *E.*) Τούτων ὁμολογηθέντων, ἀναστρέψας ἐβάδιζε διὰ Θετταλίας καὶ Μακεδονίας ἐπὶ τὸν Ἑλλήσποντον, ἔχων μεθ᾽ αὐτοῦ τὸν Ἀρχέλαον ἐν τιμῇ· καὶ νοσήσαντος ἐπισφαλῶς περὶ Λάρισσαν, ἐπιστήσας τὴν πορείαν, ὡς ἑνὸς τῶν ὑπ᾽ αὐτὸν ἡγεμόνων καὶ συστρατήγων ἐπεμελήθη. ταῦτά τε δὴ διέβαλε τὸ περὶ Χαιρώνειαν ἔργον, οὐχὶ καθαρῶς ἀγωνισθὲν, καὶ ὅτι τοὺς ἄλλους Μιθριδάτη φίλους, οὓς εἶχεν αἰχμαλώτους, ἀποδιδοὺς ὁ Σύλλας, Ἀριστίωνα μόνον τὸν τύραννον ἀνεῖλε διὰ φαρμάκων, Ἀρχελάῳ διάφορον ὄντα· μάλιστα δ᾽ ἡ δοθεῖσα γῆ τῷ Καππαδόκῃ μυρίων πλέθρων ἐν Εὐβοίᾳ, καὶ τὸ Ῥωμαίων φίλον αὐτὸν καὶ σύμμαχον ὑπὸ Σύλλα ἀναγραφῆναι. περὶ μὲν οὖν τούτων αὐτὸς ὁ Σύλλας ἐν τοῖς Ὑπομνήμασιν ἀπολογεῖται.

† (*Plut. in Sulla c.* 24. *p.* 467. *C.*) Συνῆλθον οὖν τῆς Τρωάδος ἐν Δαρδάνῳ, Μιθριδάτης μὲν ἔχων ναῦς αὐτόθι διακοσίας ἐνήρεις, καὶ τῆς πεζῆς δυνάμεως, ὁπλίτας μὲν δισμυρίους, ἱππεῖς

δὲ ἑξακισχιλίους, καὶ συχνὰ τῶν δρεπανηφόρων· Σύλλας δὲ, τέσσαρας σπειρὰς καὶ διακοσίους ἱππεῖς. ἀπαντήσαντος δὲ τοῦ Μιθριδάτου, καὶ τὴν δεξιὰν προτείναντος, ἠρώτησεν αὐτὸν, εἰ καταλύσεται τὸν πόλεμον ἐφ᾽ οἷς ὡμολόγησεν Ἀρχέλαος· σιωπῶντος δὲ τοῦ βασιλέως, ὁ Σύλλας· Ἀλλὰ μὴν, ἔφη, τῶν δεομένων ἐστὶ τὸ προτέρους λέγειν, τοῖς δὲ νικῶσιν ἐξαρκεῖ τὸ σιωπᾶν. ἐπεὶ δ᾽ ἀρξάμενος τῆς ἀπολογίας ὁ Μιθριδάτης, ἐπειρᾶτο τοῦ πολέμου τὰ μὲν εἰς δαίμονας τρέπειν, τὰ δ᾽ αὐτοὺς αἰτιᾶσθαι τοὺς Ῥωμαίους· ὑπολαβὼν ὁ Σύλλας ἔφη, πάλαι μὲν ἑτέρων ἀκούειν, νῦν δ᾽ αὐτὸς ἐγνωκέναι τὸν Μιθριδάτην δεινότατον ὄντα ῥητορεύειν, ὃς ἐπὶ πράξεσιν οὕτω πονηραῖς καὶ παρανόμοις, λόγων ἐχόντων εὐπρέπειαν οὐκ ἠπόρηκεν. Ἐξελέγξας δὲ τὰ πεπραγμένα πικρῶς ὑπ᾽ αὐτοῦ καὶ κατηγορήσας, πάλιν ἠρώτησεν, εἰ ποιεῖ τὰ συγκείμενα δι᾽ Ἀρχελάου. φήσαντος δὲ ποιεῖν, οὕτως ἠσπάσατο, καὶ περιλαβὼν ἐφίλησεν αὐτόν.

† (*Plut. in Sulla c.* 27. *p.* 468. *E.*) Μέλλοντος δὲ τοὺς στρατιώτας διαπεραιοῦν, καὶ δεδιότος, μὴ, τῆς Ἰταλίας ἐπιλαβόμενοι, κατὰ πόλεις ἕκαστοι διαῤῥυῶσι, πρῶτον μὲν ὤμοσαν ἀφ᾽ αὑτῶν παραμενεῖν, καὶ μηδὲν ἑκουσίως κακουργήσειν τὴν Ἰταλίαν· ἔπειτα χρημάτων δεόμενον πολλῶν ὁρῶντες, ἀπήρχοντο καὶ συνεισέφερον ὡς ἕκαστος εἶχεν εὐπορίας. οὐ μὴν ἐδέξατο τὴν ἀπαρχὴν ὁ Σύλλας, ἀλλ᾽ ἐπαινέσας καὶ παρορμήσας, διέβαινεν, ὥς φησιν αὐτὸς, ἐπὶ πεντεκαίδεκα στρατηγοὺς πολεμίους, πεντήκοντα καὶ τετρακοσίας σπείρας ἔχοντας, ἐκδηλότατα τοῦ θεοῦ τὰς εὐτυχίας προσημαίνοντος αὐτῷ. θύσαντος μὲν γὰρ εὐθέως ᾗ διέβη περὶ Τάραντα, δάφνης στεφάνου τύπον ἔχων ὁ λοβὸς ὤφθη, καὶ λημνίσκων δύο κατηρτημένων. μικρὸν δὲ πρὸ τῆς διαβάσεως, ἐν Καμπανίᾳ περὶ τὸ Ἥφαιον ὄρος ἡμέρας ὤφθησαν δύο τράγοι μεγάλοι συμφερόμενοι, καὶ πάντα δρῶντες καὶ πάσχοντες, ἃ συμβαίνει μαχομένοις ἀνθρώποις. ἦν δ᾽ ἄρα φάσμα, καὶ κατὰ μικρὸν αἰρόμενον ἀπὸ γῆς, διεσπείρετο πολλαχοῦ τοῦ ἀέρος, εἰδώλοις ἀμαυροῖς ὅμοιον, εἶτα οὕτως ἠφανίσθη. καὶ μετ᾽ οὐ πολὺν χρόνον ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ Μαρίου τοῦ νέου καὶ Νορβανοῦ τοῦ ὑπάτου μεγάλας δυνάμεις ἐπαγαγόντων, ὁ Σύλλας, οὔτε τάξιν ἀποδοὺς, οὔτε λοχίσας τὸ οἰκεῖον στράτευμα, ῥώμῃ δὲ προθυμίας κοινῆς καὶ φορᾷ τόλμης ἀποχρησάμενος, ἐτρέψατο τοὺς πολεμίους, καὶ κατέκλεισεν εἰς Καπύην πόλιν τὸν Νορβανὸν, ἑπτακισχιλίους ἀποκτείνας. τοῦτο αἴτιον αὐτῷ γενέσθαι φησὶ τοῦ μὴ διαλυθῆναι τοὺς στρατιώτας κατὰ πόλεις, ἀλλὰ συμμεῖναι καὶ καταφρονῆσαι τῶν ἐναντίων, πολλαπλασίων ὄντων.

† (*Plut. in Sull. c.* 27. *p.* 469. *B.*) Ἐν δὲ Σιλβίῳ φησὶν οἰκέτην Ποντίου θεοφόρητον ἐντυχεῖν αὐτῷ, λέγοντα παρὰ τῆς Ἐνυοῦς κράτος πολέμου καὶ νίκην ἀπαγγέλλειν· εἰ δὲ μὴ σπεύσειεν, ἐμπεπρήσεσθαι τὸ Καπιτώλιον· ὃ καὶ συμβῆναι τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ᾗς ὁ ἄνθρωπος προηγόρευσεν. ἦν δὲ αὕτη πρὸ μιᾶς νόνων Κιντιλίων, ἃς νῦν Ἰουλίας καλοῦμεν.

† (*Plut. in Sulla c.* 28. *p.* 470. *C.*) Ἐν ταύτῃ τῇ μάχῃ Σύλλας φησὶν εἴκοσι τρεῖς μόνους ἀποβαλεῖν. ἀποκτεῖναι δὲ τῶν πολεμίων δισμυρίους, καὶ λαβεῖν ζῶντας ὀκτακισχιλίους.

Lib. XXI.

(*Priscian. L. IX. p.* 864. *Putsch.*) Sulla in XXI. Rerum Suarum: Ad summam perniciem rem publicam perventuram esse: pro perventum ire, ἐλεύσεσθαι.

Lib. XXII.

(*Plut. in Sulla c.* 37. *p.* 475. *A.*) Ὁ δὲ Σύλλας οὐ μόνον προέγνω τὴν ἑαυτοῦ τελευτὴν, ἀλλὰ τρόπον τινὰ καὶ γέγραφε περὶ αὐτῆς. τὸ γὰρ εἰκοστὸν καὶ δεύτερον τῶν Ὑπομνημάτων πρὸ δυεῖν ἡμερῶν, ᾗ ἐτελεύτα, γράφων ἐπαύσατο· καί φησι, τούς τε Χαλδαίους αὐτῷ προειπεῖν, ὡς δέοι βεβιωκότα καλῶς αὐτὸν ἐν ἀκμῇ τῶν εὐτυχημάτων καταστρέψαι. λέγει δὲ καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ τεθνηκότα μικρὸν ἔμπροσθεν τῆς Μετέλλης φανῆναι κατὰ τοὺς ὕπνους, ἐν ἐσθῆτι φαύλῃ παρεστῶτα, καὶ δεόμενον τοῦ πατρὸς παύσασθαι τῶν φροντίδων, ἰόντα δὲ σὺν αὐτῷ παρὰ τὴν μητέρα Μετέλλαν, ἐν ἡσυχίᾳ καὶ ἀπραγμόνως ζῆν μετ᾽ αὐτῆς.

Fortasse etiam plura huc referri oportuisset ex Plutarcho, si quidem verum est, quod scribit Heerenius de Fontib. et auctor. vit. parall. Plutarchi p. 151. sq. „Omnia quae in Sullae vita legimus, si pauca, ubi suum iudicium interposuit Plutarchus, exceperis, adeo redolent ingenium Sullae, ut a nemine alio profecta esse possint. Non enim sine iactantia de se rebusque a se gestis locutus est Sulla; quippe qui in proeliis, ubi multa millia hostium caesa essent, de suis vix quinque vel decem periisse affirmare haud erubuit [p. 464. E. 470. C.]. Fuit praeterea Sulla omnium mortalium superstitiosissimus; ita ut nil certius esse iis quam quae somnia portenderent, in Commentariis suis ingenue professus sit [Plut. in Lucull. p. 507. A.]. Iam si Plutarchi vitam inspicies, plena esse omnia invenies ominum, auspiciorum et id genus alia; quae praeter Sullam nemo facile tanta cura commemoraverit. Accedit denique, quod plura legimus, quae a nemine fere alio, quam a Sulla, resciri ac memoriae tradi potuerint; velut quae in colloquio, quod solus instituit cum Archelao Mithridatis M. duce [p. 466. B.], ac mox in congressu cum Mithridate ipso acta sint [p. 467. C.]. Quae si nobiscum reputamus, erit sane quod nobis gratulemur, Sullae Commentarios nisi integros, attamen in epitomen redactos, magna ex parte nobis in Plutarchi vita superesse."

§. 5. M. Terentius Varro.

M. Terentius Varro, qui tantum composuit librorum numerum ut non facile ullum possit excogitari scriptionis genus, quod hic reliquerit intactum, — qua de causa a Cicerone ad Att. XIII. 18. appellatur πολυγραφώτατος, — etiam inter scriptores vitae propriae locum sibi vindicare videtur. Hunc enim, ad exemplum Scauri et Rutilii, de sua quoque ipsum scripsisse vita, novimus ex Charisio L. I. p. 69.

Praeter Charisii autem testimonium nihil omnino superest de libro Varroniano; in cuius interitu sine dubio magnam iacturam fecerunt Literae Latinae, in primis vero Historia. Quas enim res hic vir potuit videre, quibus rebus interesse, quot homines novisse, qui annis suis seculi tempus aequavit? Idque eo etiam magis, si Varro, quod non sine causa videor mihi posse suspicari, scripserit hunc librum in ultimo vitae suae stadio, quo ab Antonio proscriptus est septuagenario maior; mox tamen, quamquam possessionibus suis exutus, evasit periculum necis et reliquum vitae tempus, rebus per Augustum tranquillatis, tutus ab omni vi, consumsit in literis.

Res Varronis proxime coniunctae fuerunt cum Cicerone, Pompeio et Caesare; de quibus verisimile est ipsum in hoc libro multum esse locutum. Cum Cicerone enim, quo decem annis maior erat, non solum communes habuit praeceptores, et Romae quidem L. Aelium Stilonem, Athenis vero Antiochum Ascalonitam (vid. Cic. in Bruto c. 56. 205. Academ. Qu. L. I. c. 3. 12. et Heusdius de Aelio Stilone p. 51 sq.): sed talis etiam inter utrumque fuit vitae studiorumque coniunctio ut Varro librum a se scriptum de Lingua Latina dedicaverit Ciceroni, quemadmodum hic Varronem inscripsit Academicorum posteriorum librum primum.

Posteaquam honoribus inservire coepit, primum quidem Triumvir, deinde Tribunus plebis creatus est; qua de re ipse scripsit in libro XXI. Rerum Humanarum, teste Gellio L. XIII. c. 12. 6. *Ego triumvir vocatus a Porcio tribuno plebis, non ivi, auctoribus principibus, et vetus ius tenui. Item tribunus plebis quum essem, vocari neminem iussi, neque vocatum a collega parere invitum.*

Mox in Cn. Pompeii pervenit familiaritatem, quem non parum adiuvit scientia sua Antiqui iuris Senatorii. Nam *quum Pompeius consul primum designatus cum M. Crasso*, ut Gellius narrat L. XIV. c. 7. 1. *eum magistratum initurus foret, quoniam, per militiae tempora, senatus habendi consulendique, rerum expers urbanarum fuit, M. Varronem, familiarem suum, rogavit, uti commentarium faceret* εἰςαγωγικὸν *(sic enim Varro ipse appellat;) ex quo disceret, quid facere dicereque deberet, quum senatum consuleret.*

Pompeio adfuit etiam in bello Piratico et coronam ab eo meruit navalem, ut meminit Plinius L. VII. 30. (31.) et L. XVI. 4 (3.) In eodem bello Varro cogitavit, pontibus iactis, pedestri transitu continuare maris Hadriatici intervallum, quo, ex adverso Appolloniatum oppidum transitus in Graeciam brevissimus est: quod primum cogitaverat Pyrrhus; *sed utrumque aliae impedivere curae*, ut scribit Plinius L. III. c. 11. (16.)

Exorto deinde bello Civili, in Hispania ulteriore exercitum rexit et provinciam, sed a Caesare inde depulsus ad Pompeium se in Graeciam contulit, eiusque partes strenue tueri conatus est; tandem vero post cladem Pharsalicam Caesari victori se permisit, ut Caesar ipse narrat in B. Civ. L. II. c. 17—20. Interea tamen, dum Caesar bello Alexandrino detineretur, Antonius in Varronis fundum Cassinatem advolaverat multosque dies in ea villa turpissime erat perbacchatus. *Ab hora tertia*, inquit Cicero in Phil. II. c. 41. 104. *bibebatur, ludebatur, vomebatur; - - personabant omnia vocibus ebriorum; natabant pavimenta vino; madebant parietes; ingenui pueri cum meritoriis, scorta inter matres familias versabantur.*

Caesar autem Romam redux non modo Varronem in gratiam recepit, sed etiam *Bibliothecas Graecas et Latinas*, ut Suetonius scribit in Caes. c. 44. *quam maximas posset, publicare destinans, M. Varroni curam dedit comparandarum ac digerendarum.* Ab eo igitur inde tempore Varro totum se tradidit conscribendis libris, in quibus teste Cicer. Acad. Qu. I. c. 3. 9. modo aetatem patriae, aut descriptiones temporum, aut sacrorum iura aut sacerdotum; modo domesticam, aut bellicam disciplinam; modo sedem regionum, et locorum; modo omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuit; plurimumque luminis poëtis Romanis omninoque Latinis literis et verbis attulit; atque ipse varium et elegans omni fere numero poëma fecit, philosophiamque multis locis inchoavit. Qua de re tantam nactus est nominis famam, ut, quemadmodum Plinius scribit L. VII. c. 30. (31.) *M. Varronis, in bibliotheca,*

quae prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romae est, unius viventis posita sit imago: haud minore (ut equidem reor) gloria, principe oratore et cive, ex illa ingeniorum, quae tunc fuit, multitudine, uni hanc coronam dante, quam quum eidem Magnus Pompeius piratico ex bello navalem dedit.

Interfecto autem Caesare, ab Antonio quidem, sive propter Ciceronis familiaritatem invisus, sive quod iniquior erat dominatui, cum aliis proscriptus est, sed opera civis cuiusdam Caleni servatus, ut scribit Appianus de B. Civ. L. IV. c. 47. *Οὐάῤῥων δὲ ἦν φιλόσοφός τε καὶ ἱστορίας συγγραφεὺς, ἐστρατευμένος τε καλῶς καὶ ἐστρατηγηκὼς, καὶ ἴσως διὰ ταῦτα ὡς ἐχθρὸς μοναρχίας προὐγράφη. Φιλοτιμουμένων δὲ αὐτὸν ὑποδέξασθαι τῶν γνωρίμων, καὶ διεριζόντων ἐς ἀλλήλους, Καληνὸς ἐξενίκησε, καὶ εἶχεν ἐν ἐπαύλει, ἔνθα Ἀντώνιος ὅτε διοδεύοι κατήγετο· καὶ τὸν Οὐάῤῥωνα οὐδεὶς ἔνδον ὄντα ἐνέφηνε θεράπων, οὔτε αὐτοῦ Οὐάῤῥωνος, οὔτε Καληνοῦ.* Direptis autem bibliothecis suis quamquam gravem iacturam passus, reliquum vitae tempus, nulla interpellante vi, totum peregit in literis plurimaque composuit, ita ut octogesimum quartum aetatis annum ingressus memoret se quadringentos nonaginta libros conscripsisse. Sic enim legimus apud Gellium L. III. c. 10. 17. *Tum ibi addit, se quoque iam duodecimam annorum hebdomadem ingressum esse et ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse: ex quibus aliquam multos, quum proscriptus esset, direptis bibliothecis suis, non comparuisse.*

Diem obiit a. 727. nonagenarius ex computatione Eusebii in Chronico ad Olymp. 188. n°. 1989. sed anno LXXXVIII. adhuc scripsisse traditur a Plinio L. XXIX. c. 4. (18.)

Cffr. Vossius, de Hist. Lat. L. I. c. 12. Bähr, §. 200. T. II. p. 32.

Fragmenta.

† (*Charisius L. I. p.* 69.) Serapis *Serapidis* volunt grammatici genitivo casu dici, non *Serapis*, quod omnia nomina graccanicae figurae *is* terminata in genitivo crescere syllaba debent, ut Iris *Iridis*, Isis *Isidis*, Hymnis *Hymnidis*, Paris *Paridis*. Sed et quum latine declinari possint, non est necesse consuetudinem ratione reformare, praesertim quum adsit auctoritas: Nam et Varro de Vita Sua, non tantum *huius Serapis* declinavit sed et *Isis*, quod paulo est durius, et Virgilius *Irim* dicit et *Parim* et *Tygrim*.

§. 6. M. Tullius Cicero.

Ad Ciceronem progressi, de huius vita et rebus gestis, utpote vulgo satis cognitis, tacentes, nunc quidem solum memorabimus quosnam ille scripserit libros qui ad nostrum argumentum pertinere videntur. Scripsit autem non semel, sed saepius de vita sua et de rebus a se gestis: qui libri tamen, quorum erant alii Latine alii Graece, alii ligata alii soluta oratione conscripti, exceptis paucissimis fragmentis, temporum iniuria dudum perierunt omnes. De titulis et fragmentis horum librorum undequaque conquirendis olim iam bene meruerunt Rob. Stephanus, Car. Sigonius, praecipue vero Andr. Patricius: quorum labores coniunctim edidit Is. Verburgius in edit. Ciceronis Vol. X. tum vero nostra aetate, quae etiam hac in re complura suppeditavit subsidia nova, Car. Frid. Aug. Nobbius in Ciceronis Operibus uno volumine comprehensis. *Lipsiae* 1827. 4°. I. C. Orellius in Edit. Cicer. Vol. IV. P. II. et I. A. C. van Heusde, M. Tullius Cicero *φιλοπλάτων*. *Traiecti ad Rh.* 1836. 8°. Post quorum virorum lucubrationes, nobis quidem, si velimus libros illos recensere ad temporis ordinem, quo singuli a Cicerone videntur esse scripti, primum memorandus est

1.) Liber de suis consiliis sive Expositio suorum consiliorum. Huius mentionem facit Asconius ad Orat. in toga cand. p. 522. Or. *Aut C. Caesaris, aut M. Crassi domum significat. Etenim acerrimi ac potentissimi fuerunt Ciceronis refragatores, quum petiit consulatum, quod eius in dies civilem crescere dignitatem animadvertebant: et hoc ipse Cicero in expositione suorum consiliorum significat. Eius quoque coniurationis, quae, Cotta et Torquato Coss. ante annum, quam haec dicerentur, facta est a Catilina et Pisone, arguit M. Crassum auctorem fuisse.* Eiusdem meminit Boëthius, cuius verba mox adscribemus, inter Fragmenta.

De argumento huius libri haec probabiliter disputat Nobbius: »Quum Cicero, gratia apud populum in dies magis magisque aucta, invidiam sibi conflaret hominum in civitate potentium, ut Crassi et Caesaris, librum de *consiliis suis* seu *expositionem consiliorum suorum* publicavit, qua bonam animi voluntatem, aut, ne Consulatus obtinendi spe excideret, suis probaret civibus, aut ob res in Consulatu iam gestas inimicorum sermonibus in suspicionem adductam purgaret. Nam quamquam in libro, quem de Consulatu suo scripsit, idem egisse videri potest, tamen singulari id libello fecisse Asconii et Boëthii testimonio intelligitur. Quapropter hunc circa Consulatus sui tempora confecisse mihi videtur."

Sigonio hic liber »non alius videtur esse, quam is, quem Dio appellat ἀπόῤῥητον βίβλιον, in quo rationem rerum a se in re publica actarum reddebat." Sed mea opinione fallitur Sigonius, ab ipso fortasse Dione in errorem deductus, qui, L. XXXIX. c. 10. 39. p. 96. D. argumentum commemorans alius operis, *de Temporibus suis*, titulum nominat περὶ τῶν ἑαυτοῦ βουλευμάτων, ut infra dicemus.

Cffr. Verburgius, p. 4009. Nobbius, p. 1174. Orellius, p. 491.

Fragmenta.

(*Boëthius de Musica L. I. c.* 1.) Quod scilicet Marcus Tullius commemorat in eo libro, quem de consiliis suis composuit, aliter quidem, sed hoc modo: Sed ut aliqua similitudine adductus, maximis minima conferam, ut quum vinolenti adolescentes, tibiarum etiam cantu, ut fit, instincti, mulieris pudicae fores frangerent, admonuisse tibicinam, ut spondeum caneret, Pythagoras dicitur. Quod quum illa fecisset, tarditate modorum, et gravitate cantus, illorum furentem petulantiam resedisse.

Orellio videtur Boëthius haec habere ex Augustino contra Iulianum Pelag. L. V. c. 5. §. 23.

(*Fronto Ex. Elocutt. p.* 364. *Rom.*) Neque adsidere Gabinium aut alloqui in curia quisquam audebat.

Hoc Fragmentum (sunt verba Orellii), quod nunc primum accedit, nescio quo iure ad librum, quem de suis consiliis conscripsit Cicero, refert Beier Fragmm. Orat. p. 196.

2.) Alterum, quod huc pertinet, scriptum est Epistola ad Cn. Pompeium de rebus suis in consulatu gestis. Hanc quidem Epistolam statim post gestum consulatum scriptam fuisse, apparet eo quod ipsius mentio fiat in oratione pro Sulla, quam Cicero habuit a. 692. Ibi autem haec leguntur c. 24. 67. *Hic tu Epistolam meam saepe recitas, quam ego ad Cn. Pompeium de meis rebus gestis et de summa re publica misi, et ex ea crimen aliquod in P. Sullam quaeris: et, quia furorem incredibilem, biennio ante conceptum, erupisse in meo consulatu scripsi, me hoc demonstrasse dicis, Sullam in illa fuisse superiore coniuratione.* Eiusdem epistolae meminit Scholiastes Ambrosianus ad Plancian. c. 34. p. 270. Or. *Haec omnia non ad reum, sed ad* omnem (*) *Ciceronem pertinent, quasi asperius a Laterense proposita. Nam significat Epistolam non mediocrem ad instar voluminis scriptam, quam Pompeio in Asiam de rebus suis in consulatu gestis miserat Cicero, aliquanto, ut videbatur, insolentius scriptam, ut Pompeii stomachum non mediocriter commoveret: quod quadam superbiore iactantia omnibus se gloriosis ducibus anteponeret. Hoc igitur vult esse purgatum, dicens nuntiasse se Cn. Pompeio patriae conservationem, nec inscienter de semet ipso gloriatum. Obfuerunt autem re vera: nam sic effectum est, ut ei Pompeius contra Clodianam vim non patrocinaretur.*

Ad hanc Epistolam Pompeium frigide admodum respondisse, nec Ciceroni ullam significasse rerum in consulatu suo gestarum gratulationem, apparet ex alia Ciceronis Epistola, ad Pompeium scripta a. 692. quae est ad Fam. L. V. 7. 3. *Ac, ne ignores, quid ego in tuis literis desiderarim, scribam aperte, sicut et mea natura et nostra amicitia postulat. Res eas gessi, quarum aliquam in tuis literis et nostrae necessitudinis et rei publicae causa gratulationem exspectavi: quam ego abs te praetermissam esse arbitror, quod vererere, ne cuius animum offenderes.*

(*) *Ad omnem Ciceronem?* Ita perspicue Codex, ut affirmant Editores. Quidni autem legamus: *Haec omnia non ad reum, sed ad oratorem Ciceronem pertinent?*

Cffr. **Nobbius**, p. 1186. **Orellius**, p. 468. add. Vol. V. P. II. p. 271. et, qui ibi citatur, **Garatonius**.

Fragmenta.

(Non supersunt.)

De reliquis huc pertinentibus libris locus classicus est in Epistola ad Att. L. I. 19. 10. quae scripta est Idib. Martiis a. 694. *Commentarium Consulatus mei Graece compositum misi ad te; in quo si quid erit, quod homini Attico minus Graecum eruditumque videatur; non dicam quod tibi, ut opinor, Panormi Lucullus de suis historiis dixerat; se, quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quaedam et σόλοικα dispersisse. Apud me si quid erit eiusmodi, me imprudente erit et invito. Latinum si perfecero, ad te mittam. Tertium poëma exspectato, ne quod genus a me ipso laudis meae praetermittatur. Hic tu, cave, dicas, τίς πατέρ' αἰνήσει; si est enim apud homines quidquam, quod potius sit, laudetur; nos vituperemur, qui non potius alia laudemus. Quamquam non ἐγκωμιαστικὰ sunt haec, sed ἱστορικά, quae scribimus.* Hic igitur tres libri memorantur: Commentarius Graecus, Commentarius Latinus et Poëma. De singulis videamus deinceps.

3.) De **Commentario Graeco** loquitur item in Epist. ad Att. L. II. 1. 1. *Kalendis Iuniis* [a. 694.] *eunti mihi Antium et gladiatores M. Metelli cupide relinquenti venit obviam tuus puer. Is mihi literas abs te et Commentarium consulatus mei Graece scriptum reddidit. In quo laetatus sum me aliquanto ante de iisdem rebus Graece item scriptum librum L. Cossinio ad te perferendum dedisse. Nam, si ego tuum ante legissem, furatum me abs te esse diceres. Quamquam tua illa — legi enim libenter — horridula mihi atque incompta visa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant; et, ut mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur. Meus autem liber totum Isocrati μυροθήκιον atque omnes eius discipulorum arculas ac nonnihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit; quem tu Corcyrae, ut mihi aliis literis significas, strictim attigisti; post autem, ut arbitror, a Cossinio accepisti; quem tibi ego non essem ausus mittere, nisi eum lente ac fastidiose probavissem. Quamquam ad me rescripsit iam Rhodo Posidonius, se, nostrum illud ὑπόμνημα quum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de iisdem rebus scriberet, miseram, non modo non excitatum esse ad scribendum, sed etiam plane deterritum. Quid quaeris? conturbavi Graecam nationem. Ita, vulgo qui instabant, ut darem sibi, quod ornarent, iam exhibere mihi molestiam destiterunt. Tu, si tibi placuerit liber, curabis, ut et Athenis sit et in ceteris oppidis Graeciae. Videtur enim posse aliquid nostris rebus lucis afferre.* Hunc commentarium significare videtur Plutarchus in Caes. p. 711. B. Ciceronem ἐν τῷ περὶ τῆς Ὑπατείας laudans, et Dio Cassius L. XLVI. c. 21. p. 306. A. Q. Fusio Caleno haec inter alia tribuens: *προθέμενος πάντα τὰ τῇ πόλει πεπραγμένα συγγράψαι (καὶ γὰρ σοφιστὴς καὶ ποιητὴς καὶ φιλόσοφος καὶ ῥήτωρ καὶ συγγραφεὺς εἶναι πλάττεται) ἔπειτ' οὐκ ἀπὸ τῆς κτίσεως αὐτῆς, ὥσπερ οἱ ἄλλοι οἱ τοῦτο ποιοῦντες, ἀλλὰ ἀπὸ τῆς ὑπατείας τῆς ἑαυτοῦ ἤρξατο· ἵνα ἀνάπαλιν προχωρῶν, ἀρχὴν μὲν τοῦ λόγου ἐκείνην, τελευτὴν δὲ τὴν τοῦ Ῥωμύλου βασιλείαν ποιήσηται.*

Cffr. **Vossius**, de Hist. Graecis L. IV. c. 15. **Nobbius**, p. 1186. **Orellius**, p. 567.

Fragmenta.

(Non supersunt.)

4.) **Latinus** autem **Commentarius**, quem se perfecturum esse promiserat Cicero ad Att. l. c., utrum unquam fuerit perfectus, certo non videtur posse dici; eius quippe scripti nusquam ulla reperitur mentio. Ubi enim Cicero scribit ad Att. L. I. 20. 6. *De meis scriptis, misi ad te Graece perfectum Consulatum meum. Eum librum L. Cossinio dedi. Puto te Latinis meis delectari; huic autem Graeco Graecum invidere. Alii si scripserint, mittemus ad te; sed, mihi crede, simul atque hoc nostrum legerunt, nescio quo pacto retardantur,* verba ista *Latinis meis* videntur intelligenda esse universe de omnibus Ciceronis scriptis, non singulatim de uno aliquo commentario.

5.) Tertium erat Poëma, quod, quo tempore Cicero Atticum iusserat exspectare illud, nondum videtur fuisse paratum. Id tamen quin deinceps fuerit paratum, nequaquam licet dubitare. Ex eo enim poëmate versus supersunt LXXVIII. inserti libro I. de Divinatione c. 11. sqq. ubi Q. Frater: *Sed quo potius utar*, inquit, *aut auctore, aut teste, quam te? cuius edidici etiam versus, et libenter quidem, quos in secundo de Consulatu Urania Musa pronuntiat:*

Principio aetherio flammatus Iuppiter igni
Vertitur cet.

Eiusdem meminit Servius ad Virgil. Ecl. VIII. 106. *Sine igne subito ex ipsis cineribus flamma emersit. Hoc uxori Ciceronis dicitur contigisse: quum post peractum sacrificium libare vellet in cinerem, ex ipso cinere flamma surrexit, quae flamma eodem anno Consulem futurum ostendit eius maritum: sicut Cicero in suo testatur Poëmate.* Quibus testibus nunc novus accedat testis Scholiastes Ambrosianus ad Plancianam c. 30. p. 267. Or. *Suffecerat enim de ea oratione dixisse, qua vel senatui vel populo gratias egit. Nunc autem et de versibus suis facere mentionem videtur, quos intempestivum sit in iudiciali dissertatione recitare. Non potuit tamen in totum de iis tacere. Nam de Consulatu suo scripsit poëtico metro, quae mihi videntur opera minus digna talis viri nomine.*

Et videtur quidem Cicero poëma illud tribus, ut opinantur, divisum libris, iam eodem illo, quo promiserat, anno 694. absolvisse, id est duobus annis ante exsilium suum, si quidem in epistola ad Atticum L. II. 3. 3. scripta mense Decembri eius anni, haec leguntur: *Sed me* κατακλεὶς *mea illa commovet, quae est in libro III.* Interea cursus cet. *Haec mihi quum in eo libro, in quo multa sunt scripta* ἀριστοκρατικῶς, *Calliope ipsa praescripserit, non opinor esse dubitandum, quin semper nobis videatur* Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. In vulgus autem editum est certe ante initium a. 699. Eo enim anno Quinto Fratri haec rescripsit Cicero L. II. 9. 1. *Quod me admones de nostra Urania suadesque, ut meminerim Iovis orationem, quae est in extremo illo libro: ego vero memini et illa omnia mihi magis scripsi, quam ceteris.*

De argumento haec disputat Heusdius: »Opus, quod Cicero versibus Latinis de Consulatu suo scripsit, si eius rationem e dispersis fragmentis aestimare licet, magnificentissimi spectaculi retulisse speciem videtur. Etenim, si quis hic conceditur coniecturae locus, non ineptum est suspicari, Ciceronem exorsum ab eo divino prodigio, quod litaturae post sacrificium Terentiae uxori Consulatum mariti portendisset [Servius ad Virgil. Ecl. VIII. 106.], finxisse se a Iove ipso in deorum concilium advocatum [Quinctil. L. XI. c. 1. 24.]; in quem divinum coetum admissus, qui considebat in Olympo, exaudivit a patre Deorum et hominum, quae essent brevi tempore eventura, quasque rationes oporteret iniri [Cic. ad Q. fr. L. II. 9. 1.]; accepit ab Urania, quibus illa prodigiis nuntiarentur [de Divinat. L. I. c. 11.], admonitusque a Minerva est, quae eum omnes artes edocuisset [Quinctil. l. c.], ut earum fructus ad summam civium salutem conferret. Haec si fuerit duorum priorum librorum summa, in tertio fortasse Calliopen induxit, laudibus res suas gestas ornantem, vitaeque cursum ipsi talem exoptantem, qualis laudatissimum consularem unice deceret [ad Att. L. II. 3. 3.]. Hoc igitur heroicum carmen tripartitum fuit, et ad Graecorum exemplum compositum [ad Att. L. I. 19. 10. Quinctil. l. c.]."

Cffr. Vossius, de Hist. Lat. L. I. c. 11. et de Poët. Lat. c. 1. p. 235. Verburgius, p. 4066. Nobbius, p. 1186. Orellius, p. 567. Bähr, §. 90. T. I. p. 272. I. A. C. van Heusde, M. Tullius Cicero φιλοπλάτων, p. 54 sq.

Fragmenta.

Lib. II.

(*Cic. de Divinat. L. I. c.* 11—13. §. 17—22. *Lact. Inst. Div. L. III. c.* 17.)

Principio aetherio flammatus Iuppiter igni
Vertitur, et totum collustrat lumine mundum,
Menteque divina coelum terrasque petessit:
Quae penitus *cet.*

(*Nonius p.* 97. *A.*) Eventus generis est masculini -- Eventum dici poterit, quodcunque erit actum. M. Tullius Consulatus sui lib. II.

Atque animo pendens noctu eventa timebat.

L i b. III.

(*Cic. ad Att. L. II.* 3. 3.)

Interea cursus, quos prima a parte iuventae,
Quosque adeo consul virtute animoque petisti,
Hos retine, atque auge famam laudesque bonorum.

† (*Cic. ad Att. L. II.* 5. 3.)

In montes patrios et ad incunabula nostra.

»Hoc fragmentum (sunt verba Orellii) nunc primum accedit de sententia Wielandi *Vers. Germ.* T. I. p. 279. et ex parte Santenii ad Terentianum p. 280.'' Heusdius autem p. 52. opinatur hunc esse versiculum carminis alius, quod suspicatur Ciceronem pepigisse et Quinto fratri dedicasse, *de Villa Arpinati.*

† (*Quinctil. L. XI. c.* 1. 24.)

Cedant arma togae, concedat laurea laudi.

Hunc versum, sive totum sive dimidium citat Cic. de Off. L. I. c. 22. 77. in Pison. c. 30. 73. sq. Philipp. II. c. 8. 20. Auctor Orat. in Sall. c. 2. 7. Auctor Orat. in Cic. c. 3. 6. Servius ad Virgil. Aen. I. 1. Plutarch. Compar. Cicer. cum Demosth. c. 2. p. 887. A. *ὡς τὰ ὅπλα ἔδει τῇ τηβέννῳ καὶ τῇ γλώττῃ τὴν θριαμβικὴν ὑπείκειν δάφνην.*

† (*Quinctil. l. c.*)

O fortunatam natam me Consule Romam!

Versus iterum citatur a Quinctil. L. IX. c. 4. 41. Iuvenal. Sat. X. 122. Auctor. Orat. in Sall. c. 2. 7. Auctor. Orat. in Cic. c. 3. 5. Diomed. L. II. p. 461.

† (*Quinctil. l. c.*)

Iovem illum, a quo in concilium deorum advocatur.

† (*Quinctil. l. c.*)

Minervam, quae omnes eum artes edocuit.

»Haec duo Fragmenta (sunt verba Orellii) nunc primum accedunt e Quinctil. L. XI. c. 1.24. ubi consule Spalding.'' Equidem postrema quatuor Fragmenta, a Quinctiliano memorata, malui ad hoc carmen *de Consulatu suo* referre potius, quam, quod superiores fecerunt Editores, sed nescio quo iure, ad alterum carmen *de Temporibus suis;* quod mihi quidem, ut mox dicemus, aut nunquam videtur in vulgus editum esse, aut saltem demum post a. 710. Dudum autem ante illum annum maligni carpserant illud *Cedant arma togae;* qua de re ad eius versus invidiam Cicero multis verbis respondet in Orat. in Pisonem, quae habita est a. 699.

6.) Praeter illud, de quo diximus, aliud etiam Cicero pepigit carmen, item tribus divisum libris, quod inscripsit de Temporibus suis; cuius mentio fit in epistola ad Lentulum, ad Fam. L. I. 9. 23. *Quod rogas, ut mea tibi scripta mittam, quae post discessum tuum scripserim: sunt orationes quaedam -- scripsi etiam -- tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore -- Scripsi etiam versibus tres libros de Temporibus meis, quos iam pridem ad te misissem, si esse edendos putassem: — sunt enim testes et erunt sempiterni meritorum erga me tuorum meaeque pietatis: — sed quia verebar, non eos, qui se laesos arbitrarentur, (etenim id feci parce et molliter,) sed eos, quos erat infinitum bene de me meritos omnes nominare. Quos tamen ipsos libros, si quem, cui recte committam, invenero, curabo ad te perferendos.* Fuere tamen, qui, decepti horum librorum ὁμωνυμίᾳ, censerent poëma de *Consulatu suo* et versus *de Temporibus suis* esse titulos carminis eiusdem. Qua sententia quum esset Middletonus, scriptor vitae Ciceronis, refutatus est a Tunstallo in Epist. ad Middlet. p. 102—110. quem sequitur Nobbius p. 1187. opinatus Ciceronem putandum esse in libris de Temporibus suis non solum de rebus suis in Consulatu gestis cecinisse, sed etiam de exsilio et reditu in patriam; eorumque confectionem cadere in a. 700. quo scripta

est illa epistola ad Lentulum; qui quidem Lentulus post consulatum a. 697. gestum, in Ciliciam profectus, rogaverat Ciceronem ut mitteret sibi ea quae post profectionem suam scripsisset. Huius autem opinionis fundamentum dudum iecerat Manutius, qui in Comment. ad Cicer. Epist. ad Fam. ad verba Ciceronis *Scripsi etiam versibus tres libros de Temporibus meis*, haec annotaverat: *De exsilio, atque etiam de reditu: in his enim Lentulum, optime de se meritum, nominavit. Scripsit etiam versibus tres libros de Consulatu suo, sed antequam iret in exsilium: quod L. II. ad Att. ep. 3. et L. I. de Divin. c. 11. ostendit. Hic autem Cicero commemorat, quae post discessum Lentuli, id est, post exsilium suum scripserat.* In contrariam vero sententiam ivit Spaldingius ad Quinctil. L. XI. c. 1. 24. quem sequitur Orellius, citans, quod mirum est, tamquam auctorem huius sententiae, qui acerrimus refragator fuit, Tunstallum in Epist. ad Middlet. p. 102. sqq.

Equidem, duo diversa carmina fuisse opinatus, suspicor Ciceronem in altero, scripto ante exsilium, celebrasse res suas praeclare gestas in Consulatu; in altero autem, scripto demum post exsilium, cecinisse calamitatem Exsilii, Reditumque suum gloriosum. Quod argumentum quo modo tractaverit Cicero, etsi propter testimoniorum penuriam haud quisquam certo definire possit, nequaquam tamen dubium esse poterit quinam in eo carmine laudati, quinam acerbe vituperati sint. Cogitemus modo a quibus sit eiectus in exsilium, a quibus restitutus in patriam. Historiam ipse exposuit Cicero in oratione pro Sextio, quam habuit anno post exsilium, id est 698. fortasse quum in hoc ipso carmine pangendo esset occupatus. »Clodius, homo furibundus ac perditus, iratus Ciceroni, sed multo acrius otii et communis salutis inimicus, nihil non molitur, quo Ciceronem in periculum capitis adducat (pro Sext. c. 7.). Videns facillime se id consecuturum si tribunus plebis fiat, tradit se in adoptionem plebeio homini, P. Fonteio. Tum faciente Caesare, nec invito, ut videtur, Pompeio, tribunus plebis factus, legem fert, ut, qui civem Romanum indemnatum interemerit, ei aqua et igni interdicatur. Cicero etsi non nominatus, hac lege se solum peti existimans, vestem mutat, ut rei solent, et sordidatus populo supplicat. (pro Sext. c. 9.). L. Ninnius, vir incredibili fide, magnitudine animi, constantia, ad senatum de re publica refert: eo referente senatus frequens vestem pro salute Ciceronis mutandam censet (pro Sext. c. 11.). *O diem illum*, exclamat Cicero pro Sext. c. 12. 27. *funestum senatui, bonisque omnibus! rei publicae luctuosum! mihi ad domesticum maerorem, gravem! ad posteritatis memoriam, gloriosum! Quid enim quisquam potest ex omni memoria sumere illustrius, quam pro uno cive et bonos omnes privato consensu, et universum senatum publico consilio mutasse vestem? quae quidem tum mutatio non deprecationis causa est facta, sed luctus.* Mox consules, Gabinius et Piso, duo turbines rei publicae, non modo praecipitanti patriae non subvenientes, sed eam etiam nimium tarde concidere maerentes (pro Sext. c. 11.): foedere facto cum tribuno plebis palam, ut ab eo provincias accipiant, quas ipsi velint, exercitum et pecuniam, quantam velint, si ipsi prius tribuno plebis afflictam et constrictam rem publicam tradant (pro Sext. c. 10.): subito edicunt, ut ad suum vestitum redeant senatores: Clodius cum armatis occupat forum et curiam tenet obsessam (pro Sext. c. 14.). Cicero derelictus ab omnibus discedit ex urbe, relinquens fratrem et liberos et coniugem, et discessu suo servat rem publicam (pro Sext. c. 22.). Quod ubi compertum est, discessisse Ciceronem, Clodius saevit in domum eius ac villas; vexatur uxor, liberi quaeruntur ad necem, bona diripiuntur, eaque ad consules deferuntur, domus ardet in Palatio (pro Sext. c. 24.).

Pulsus Cicero iter facit versus Siciliam; sed mox C. Virgilius, praetor eius insulae, quum ipsa paene insula sese Ciceroni obviam ferre vellet, Ciceronem in Siciliam venire non vult (pro Planc. c. 40.). Tum, consilio repente mutato, Brundisium contendit et in hortos se confert M. Laenii Flacci, cui quum omnis metus, publicatio bonorum, exsilium, mors proponatur, haec perpeti, si accidant, mavult, quam custodiam capitis Ciceronis dimittere (pro Planc. c. 41.). Huius opera in navi tuta ac fideli collocatus Dyrrachium contendit, indeque in Macedoniam ad Plancium pergit, qui Ciceronem Thessalonicam, in quaestoriumque perducit. Plancius Ciceronem in Asiam ire comparantem non patitur, eumque vi et complexu suo retinet, multosque menses a capite Ciceronis non discedit, abiecta quaestoria persona, comitisque sumpta (pro Planc. c. 41.).

Interea Romae amici Ciceronis, adiuti a Pompeio, cui opera Ciceronis in re publica necessaria videtur, summo studio id agere incipiunt ut Cicero in patriam restituatur. P. Lentulus, consul anni proximi, auctoritate ac sententia sua, causam Ciceronis suscipit, nihilque sibi prius, quam de Cicerone, agendum iudicat (pro Sext. c. 33.). Re in senatum relata, princeps rogatus sen-

tentiam L. **Cotta**, dicit Ciceronem non restitui solum sed etiam ornari a senatu decere. Post eum rogatus Cn. **Pompeius**, approbata Cottae sententia, dicit sese censere ut ad Senatus auctoritatem, populi quoque Romani beneficium erga Ciceronem adiungatur (pro Sext. c. 34.). Causa delata ad populum, Clodius, quo die comitia haberentur, acceptis a fratre Appio gladiatoribus, impetu in multitudinem facto, multos vulnerat, multosque occidit. Q. **Fabricius**, Ciceroni amicissimus et M. **Cispius**, vir optimus et constantissimus, conatibus suis excidunt et de foro pelluntur: inter cadavera tamquam mortuus iacet Q. **Frater** (pro Sext. c. 35.). Clodium quidem **Milo**, tribunus plebis, de vi postulat: sed videns, opera alterius consulis Metelli eludi iudicia a Clodio, vim vi repellere statuit, ipseque gladiatores coëmit, quibus Clodii conatus comprimat. Itaque Clodio perterrefacto, evocatisque per S. C. ex cuncta Italia omnibus qui rem publicam salvam vellent, ut in causa Ciceronis adessent, P. Lentulus consul summa cum gravitate copiaque dicendi causam agit tanto silentio, tanta approbatione omnium, nihil ut unquam videatur tam populare ad populi R. aures accidisse. Praeter consulem et Pompeius et alii principes civitatis non solum auctores salutis Ciceronis, sed etiam supplices se exhibent populo Romano (pro Sext. c. 50.): quam ob rem lex fertur de reditu Ciceronis, quae summo consensu omnium centuriarum accipitur.

Eodem die, quo lex lata est, Cicero Dyrrachio profectus Brundisium venit ipsis Nonis Sextilibus, qui natalis erat coloniae Brundisinae et carissimae filiae, quam ex gravissimo tum primum desiderio luctuque conspicit. **Brundisini** advenienti Ciceroni tamquam totius Italiae atque ipsius patriae dexteram porrigunt: eumque accipit domus eadem Laenii Flacci, quae proximo anno maerens receperat et suo praesidio periculoque defenderat. Toto itinere urbes Italiae festos dies agere videntur adventus Ciceronis: viae multitudine legatorum undique missorum celebrantur, ad urbem accessus incredibili hominum multitudine et gratulatione floret (pro Sext. c. 63.): ad portam Capenam, gradus templorum ab infima plebe completi sunt: a qua plausu maximo quum esset Ciceroni significata gratulatio, similis et frequentia et plausus ipsum usque ad Capitolium celebrat (ad Att. L. IV. 1.) Reditus igitur domum eius modi est, ut triumphans potius imperator, quam eiectus civis, in patriam videatur redire, nihilque magnificentius esse possit huius diei celebritate. *Unus ille dies*, ita exclamat in Orat. in Pison. c. 22. 52. *mihi quidem immortalitatis instar fuit quo in patriam redii, quum senatum egressum vidi, populumque Romanum universum, quum mihi ipsa Roma prope convulsa sedibus suis, ad complectendum conservatorem suum progredi visa est. Quae me ita accepit, ut non modo omnium generum, aetatum, ordinum omnes viri ac mulieres, omnis fortunae ac loci, sed etiam moenia ipsa viderentur et tecta urbis ac templa laetari."*

Historiam exsilii reditusque paucis adumbrare visum est, non quo contenderem sic in eo carmine omnia fuisse descripta, sed quo appareret quorumnam laudes et merita a Cicerone debuerint celebrari. Quos tamen quum non omnes in eo carmine nominasset, Cicero, ut ipse scribit ad Lentulum, ad Fam. L. I. 9. 23. non statim edendum esse putavit, quia verebatur eos, quos erat infinitum bene de se meritos omnes nominare: quod simili modo fatetur in Orat. pro Sextio c. 50. 108. *Quo silentio sunt auditi de me ceteri principes civitatis? quos idcirco non appello hoc loco, ne mea oratio, si minus de aliquo dixero, ingrata; si satis de omnibus, infinita esse videatur.* Quod si hoc carmen unquam editum sit, certe non editum est nisi post mortem Caesaris: anno enim 710. Cicero, saepius, ut videtur, *ἀνέκδοτον* illum librum flagitatus ab Attico, ita rescripsit, ad Att. L. XIV. 7. 6. *Librum meum illum ἀνέκδοτον nondum, ut volui, perpolivi. Ego autem – credas mihi velim – minore periculo existimo contra illas nefarias partes vivo tyranno dici potuisse quam mortuo.* Sed parum abest quin fere pro certissimo credam Ciceronem hoc carmen nunquam edidisse, significarique hunc librum a Dione Cassio, ubi narrat Ciceronem scripsisse librum quemdam occultum, quem obsignatum tradiderit Tironi cum mandato ne eum se superstite aut legeret aut ederet, metuens ne se vivo emanarent quae contra Caesarem, Crassum aliosque nonnullos acerbe congessisset. Verba Dionis haec sunt L. XXXIX. c. 10. p. 96. D. *Καῖσαρ δὲ καὶ Κράσσος ἄλλως μὲν ἤχθοντο τῷ Κικέρωνι, σπουδὴν δ' οὖν τινα αὐτοῦ ἔσχον, ἐπειδὴ πάντως καθήξοντα αὐτὸν ᾔσθοντο· (καὶ γὰρ ὁ Καῖσαρ καὶ ἀπὼν εὔνοιάν τινα αὐτῷ ἐνεδείξατο·) οὐ μέντοι καὶ χάριν οὐδεμίαν ἀντέλαβον. ἐκεῖνος γὰρ τοῦτό τε οὐκ ἀπὸ γνώμης σφᾶς πεποιηκότας εἰδὼς, καὶ τῆς φυγῆς αἰτιωτάτους γεγονέναι νομίζων, ἐκ μὲν τοῦ προφανοῦς οὐ πάνυ πρὸς αὐτοὺς ἐθρασύνετο, ἅτε καὶ τῶν τῆς ἀκράτου παῤῥησίας ἐπικαρπιῶν νεωστὶ πεπειραμένος· βιβλίον μέντοι τι ἀπόῤῥητον συνέθηκε· καὶ ἐπεὶ ἐπέγραψεν*

αὐτῷ, ὡς καὶ περὶ τῶν ἑαυτοῦ βουλευμάτων ἀπολογισμόν τινα ἔχοντι. πολλὰ δὲ δὴ καὶ δεινὰ ἐς αὐτὸ καὶ περὶ ἐκείνων καὶ περὶ ἄλλων τινῶν συνήνεσε, καὶ διὰ τοῦτο φοβηθεὶς, μὴ καὶ ζῶντος αὐτοῦ ἐκφοιτήσῃ, κατεσημήνατό τε αὐτὸ καὶ παρέδωκε τῷ παιδὶ, προστάξας οἱ μήτ' ἀναγνῶναι μήτε δημοσιεῦσαι τὰ γεγραμμένα, πρὶν ἂν μεταλλάξῃ.

Cffr. Vossius, de Hist. Lat. L. I. c. 11. Verburgius, p. 4068. Nobbius, p. 1187. Orellius, p. 570. Van Heusde, p. 55. Bähr, §. 90. T. I. p. 272.

Fragmenta

(*non supersunt; nam, quae ab aliis huc referuntur, equidem referenda esse censui ad carmen de Consulatu suo.*)

7.) Priusquam Ciceronem missum faciamus, dicendum quoque est de eo, quod Ciceroni fuit propositum, posteaquam plures iam libros de rebus ad se pertinentibus conscripserat. Scilicet in memorabili celebrataque epistola, quam a. 698. ad Lucceium scripsit Cicero, ad Fam. L. V. 12. impetraturus ab ipso ut nomen suum illustraret celebraretque — aut iis scriptis, quae sciebat Lucceium eo tempore meditari, coniuncte cum reliquis rebus, aut singulari separatoque volumine, ut multi Graeci fecerunt, qui a perpetuis suis historiis bella, quae scribebant, separaverunt — post alia etiam hoc utitur argumento: *Quod si a te non impetro -- cogar fortasse facere, quod nonnulli saepe reprehendunt: scribam ipse de me, multorum tamen exemplo et clarorum virorum;* tum vero epistolam ita claudit: *His de rebus, quid acturus sis, si tibi non est molestum, rescribas mihi velim. Si enim suscipis causam, conficiam Commentarios rerum omnium.* Ex hisce igitur verbis apparet, sive facturus esset Lucceius, quod rogabatur, sive non facturus esset, utroque casu fuisse Ciceroni propositum denuo aliquid scribendi de rebus a se gestis.

Triplex mihi quidem hac in re subit quaestio. Primum quaero, utrum Lucceius perfecerit, an non perfecerit, quod Ciceroni fuit pollicitus; nam pollicitum quidem esse certo scimus ex iis quae Cicero eodem illo anno scripsit ad Atticum L. IV. 6. 4. *Epistolam, Lucceio nunc quam misi, qua, meas res ut scribat, rogo, fac ut ab eo sumas: valde bella est: eumque, ut approperet, adhorteris: et, quod mihi se ita facturum rescripsit, agas gratias.* Tum vero quaeritur, si revera de Cicerone scripserit Lucceius, utrum id ex proprio depromserit ingenio, an vero habuerit, qui materiam historiae praeberent, commentarios a Cicerone confectos. Denique, quod nunc quidem gravissimum est, quaeritur, si Lucceius non steterit promisso, utrum Cicero fecerit, quod facere se cogi dixerat, id est, scripseritne ipse de se denuo.

Ad nullam vero huius quaestionis partem certa quadam ratione potest responderi, quando quidem hac de re omnino taceat Antiquitas, nec ullum quidquam vel apud Grammaticos reperiatur vestigium.

Quod si tamen denuo de se ipse scribere sustinuerit Cicero, hoc quidem, ut opinor, pro certo poterimus habere, ipsum non id fuisse acturum ut, quod iam pluribus libris fecerat, unam aliquam vitae suae partem narraret; sed potius videtur, initio facto ab adolescentiae studiis et itinere illo, quod horum causa susceperat, Asiatico, uno volumine fuisse dicturus de omnibus, quos deinceps in re publica gessit, magistratibus, de itinere in Siciliam, de Siculorum contra Verrem et aliorum contra alios defensionibus, praecipue etiam de Consulatu et Catilina, de Clodio et de exsilio, et de glorioso in patriam reditu, denique de omnibus aliis rebus, quibus homo, qui quidem nimis gloriae flagrabat ardore, videbatur sibi, in gloriae suae incrementum, et aequalibus et posteris posse explicare, tum quid ipse fecisset, tum vero quid facere voluisset nisi fortunae procellis fuisset impeditus. Quod ut suspicari audeam, suadere mihi visa sunt illa, quae Cicero addidit verba: *scribam ipse de me, multorum tamen exemplo et clarorum virorum;* quibus verbis sine dubio illi intelligendi sunt qui data opera suae ipsi cursum vitae narraverunt, ut Scaurus, Rutilius, Catulus, Sulla: qui singuli, ut vidimus, et hoc habuerunt cum Cicerone commune, quod, maximis in re publica perfuncti muneribus, mox vel insigni modo agitati sint fortunae procellis, vel contra invidos obtrectatores confligtari debuerint.

§. 7. C. Iulius Caesar.

Minus recte a nonnullis huc quoque refertur C. Iulius Caesar. Hic enim, quamquam in duobus illis, quae supersunt, scriptis palmariis de Bello Gallico et Civili, res a se per aliquot annos gestas ipse mandaverit literis adeoque dici possit insignem aliquam vitae suae partem scripsisse, immerito tamen propterea — nec maiori iure quam aut inter Graecos Xenophon vel Aratus, aut inter Romanos Fabius Pictor vel Lucullus — eorum scriptorum numero habetur qui suam ipsi vitam narraverunt.

Attamen vero sunt quaedam testimonia Veterum, quae Caesari inter hos quoque scriptores locum suum vindicare videantur, utpote qui, praeter Commentarios illos, scripserit etiam *Ephemerides* sive *Diarium rerum a se gestarum*. Scilicet apud Plutarchum in Caes. c. 21. sq. p. 718. C. haec leguntur: *'Επὶ τούτοις ἔδει Πομπήϊον μὲν καὶ Κράσσον ὑπάτους ἀποδειχθῆναι — — Τραπόμενος δὲ αὖθις ὁ Καῖσαρ ἐπὶ τὰς ἐν τῇ Κελτικῇ δυνάμεις, πολὺν καταλαμβάνει πόλεμον ἐν τῇ χώρᾳ, δύο Γερμανικῶν ἐθνῶν μεγάλων ἐπὶ κατακτήσει γῆς ἄρτι τὸν 'Ρῆνον διαβεβηκότων, Οὐσίπας καλοῦσι τοὺς ἑτέρους, τοὺς δὲ Τεντερίδας. Περὶ δὲ τῆς πρὸς τούτους γενομένης μάχης ὁ μὲν Καῖσαρ ἐν ταῖς 'Εφημερίσι γέγραφεν, ὡς οἱ βάρβαροι, διαπρεσβευόμενοι πρὸς αὐτὸν, ἐν σπονδαῖς ἐπιθοῖντο καθ' ὁδὸν, καὶ διὰ τοῦτο τρέψαιντο τοὺς αὐτοῦ, πεντακισχιλίους ὄντας ἱππεῖς, ὀκτακοσίοις τοῖς ἐκείνων μὴ προσδοκῶντας· εἶτα πέμψειαν ἑτέρους πρὸς αὐτὸν αὖθις ἐξαπατῶντας· οὓς κατασχὼν ἐπαγάγοι τοῖς βαρβάροις τὸ στράτευμα, τὴν πρὸς οὕτως ἀπίστους καὶ παρασπόνδους πίστιν, εὐήθειαν ἡγούμενος.* Eodem referenda censentur quae Appianus, quamquam libri titulo usus aliquantum immutato, scribit de B. Gall. c. 18. *'Ο δὲ Καῖσαρ ἐν ταῖς ἰδίαις ἀναγραφαῖς τῶν ἐφημέρων ἔργων φησὶ, τοὺς Οὐσιπέτας καὶ Ταγχρέας κελευομένους ἐκπηδᾶν ἐς τὰ ἀρχαῖα σφῶν, φάναι· πρέσβεις ἐς τοὺς ἐκβαλόντας Σουήβους ἀπεσταλκέναι, καὶ τὰς ἀποκρίσεις αὐτῶν ἀναμένειν· καὶ ἐν ταῖσδε ταῖς διαπρεσβεύσεσιν ἐπιθέσθαι τοῖς ὀκτακοσίοις, καὶ παρ' αὐτὸ τρέψαι τοὺς 'Ρωμαίων πεντακισχιλίους. ἐπιπρεσβευομένων δ' αὐτῶν καὶ περὶ τοῦ παρασπονδήματος ἀπολογουμένων, ὑποτοπήσας ἐνέδραν ὁμοίαν, ἐπιθέσθαι πρὸ τῶν ἀποκρίσεων.* Praeterea duo Latini scriptores expresse memorant Caesaris *Ephemeridem;* sic enim scribit Symmachus L. IV. Ep. XVIII. *Priscas Gallorum memorias deferri in manus tuas postulas. Revolve Patavini scriptoris extrema, quibus res Caii Caesaris explicantur: aut, si impar est desiderio tuo Livius, sume Ephemeridem C. Caesaris decerptam bibliotheculae meae, ut tibi muneri mitteretur. Haec te origines, situs, pugnas, et quidquid fuit in moribus aut legibus Galliarum, docebit.* Tum vero in Servii Scholiis ad Virgil. Aen. XI. 743. hoc legitur: *Caius Iulius Caesar, quum dimicaret in Gallia, et ab hoste raptus equo eius portaretur armatus, occurrit quidam ex hostibus qui eum nosset, et insultans ait:* Cecos, Caesar: *quod Gallorum lingua* Dimitte *significat;* (*) *et ita factum est, ut dimitteretur. Hoc autem ipse Caesar in Ephemeride sua dicit, ubi propriam commemorat felicitatem.*

Ex postremo igitur testimonio Rualdus in Animadversionibus ad insigniora σφάλματα Plutarchi c. XXI. contendit apparere, fuisse olim aliud quoddam Caesaris scriptum, quam cui *Commentarii Caesaris* titulus est, quod videlicet in his ea historia non reperiatur: Plutarchum autem, quandoquidem non dubium esse censeat quin is suam narrationem transtulerit ex Commentariis de B. Gall. L. IV. c. 1—13. hoc tantum nomine reprehendit quod inscite, ut ait, Commentarios illos 'Εφημερίδας Graece appellans, peritum lectorem sane inducat et aperte suadeat ut de illo Caesariano scripto cogitet, cui titulum *Ephemeridem* vel *Ephemerides* ipse auctor fecisset et quod hodie quidem desideretur, Plutarchi autem exstaret temporibus. De Appiano tacet Rualdus. Appiani autem narrationem equidem opinor fluxisse ex eodem illo Commentariorum loco; quamquam quae Appianus narrat, nonnihil dissentiunt ab iis quae apud Caesarem leguntur: sive id librariis tribuendum sit vitio, sive ipsi Appiano, Caesaris scriptum ex memoria citanti. Sed quo res manifestius appareat, adscribam ex Caesare, uberius illam historiam narrante, ea verba quae proxime cum Plutarchi et Appiani verbis consentiunt. Sic igitur scribit Caesar de B. Gall. L. IV. c. 1. *Ea, quae secuta est, hieme, qui fuit annus Cn. Pompeio, M. Crasso coss. Usipetes Germani et item Tenchteri*

(*) Ad locum desperatum haec annotavit Scaliger (in edit. Caesaris Oudend. p. 990.) » Alias *Cetos Caesar.* Servius» P. Danielis *Caesar Caesar.* Quod quid velit, docti examinent."

magna cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt, non longe a mari, quo Rhenus influit. Causa transeundi fuit, quod ab Suevis complures annos exagitati bello premebantur et agricultura prohibebantur -- c. 6. *Caesar bellum cum Germanis gerere constituit* -- c. 7. *A quibus quum paucorum dierum iter abesset, legati ab his venerunt* -- c. 11. *Caesar quum ab hoste non amplius passuum XII milibus abesset, ad eum legati revertuntur; qui -- petebant -- sibi uti potestatem faceret, in Ubios legatos mittendi -- ad has res conficiendas sibi tridui spatium faceret* -- c. 12. *At hostes, ubi primum nostros equites conspexerunt, quorum erat quinque milium numerus, quum ipsi non amplius DCCC equites haberent -- nihil timentibus nostris, quod legati eorum paulo ante a Caesare discesserant, atque is dies induciis erat ab iis petitus, impetu facto celeriter nostros perturbaverunt* -- c. 13. *Hoc facto proelio, Caesar neque iam sibi legatos audiendos, neque conditiones accipiendas arbitrabatur ab his, qui per dolum atque insidias, petita pace, ultro bellum intulissent; exspectare vero, dum hostium copiae augerentur equitatusque reverteretur, summae dementiae esse iudicabat -- Postridie eius diei mane eadem et perfidia et simulatione usi Germani, frequentes, omnibus principibus maioribusque natu adhibitis, ad eum in castra venerunt, simul, ut dicebatur, sui purgandi causa, quod contra, atque esset dictum et ipsi petissent, proelium pridie commisissent. -- Quos sibi Caesar oblatos gavisus, illos retineri iussit.*

In Rualdi sententiam ivit Dion. Vossius, (*) et ita quidem ut insuper ea, quae ex Plutarcho et Appiano citavimus, non e Commentariis Caesaris, sed ex illis Ephemeridibus fluxisse contendat. Sic enim scribit in notis ad Caesar. de B. Gall. L. I. c. 1. (in edit. Oudend. p. 2 sq.) »Omnino sentio Caesarem privatum in usum, et memoriae causa Ephemerides scripsisse: et ex illis confectos esse, quos hodie habemus Commentarios. Postea tamen Ephemerides illae aliorum quoque in manus pervenere: erantque haud dubie meliori fide consignatae, quam Commentarii. Utrumque arguit Servii locus, quo captum fuisse Caesarem narrat. Nam id Caesar in Commentariis omisit, quia constare aliis nolebat. Ut multa etiam per omnes hos libros fide haud sane optima tradi advertas, si Dionis, et aliorum, qui eadem scripsere, historias pervolvas. Iisdem Ephemeridibus ergo usus etiam Plutarchus. Easdem intelligit Appianus: in cuius παρεκβολαῖς περὶ πρεσβειῶν legitur p. 359. *Καῖσαρ ἐν ταῖς ἰδίαις ἀναγραφαῖς τῶν ἐφημέρων ἔργων φησί.* Iisdem usus etiam Polyaenus, qui complura Caesaris strategemata memorat, nusquam in hoc opere scripta, ut in animadversionibus ostendemus. Praeterea apud Frontinum quoque sunt, quae ex Ephemeridibus hausta nihil ambigam. Quod ignoratum imposuit monachis, sive viris doctis, qui Caesaris libros exscripsere. In quibus subditum operi est: C. IVLII CAESARIS PONTIFICIS MAXIMI EPHEMERIS RERVM GESTARUM BELLI GALLICI LIBER VIII EXPLICIT FELICITER. Legerant alibi de Ephemeride, quam quia aevum aboluerat, putavere non aliam esse ab his Commentariis.'' Huc usque Vossius.

Vossii opinionem tamen merito refutavit Davisius, qui ad Caesaris Fragmenta in edit. Oudend. p. 998. ad Servii scholion haec adnotavit: »Caesarem a Gallis captum fuisse non memorant ii, qui eius vitam et res gestas scriptis mandarunt, unde factum, ut haec historia mihi quidem valde sit suspecta; ei tamen expendendae non immorabor (†). Observabo duntaxat falsos esse G. J. Vossium

---

(*) Alterius V o s s i i, Gerardi Ioannis, sententia admodum obscura est. Eius disputationem, duobus vitiis typographicis laborantem, exscribemus correctam. Sic igitur ille disputat de Hist. Lat. L. I. c. 13. »Caius Iulius Caesar varia admodum scripsit: ex quibus sola supersunt, quae in re historica reliquit. Nempe septem libri d e b e l l o G a l l i c o. Ad haec tres d e b e l l o c i v i l i. --- Reliquit et Caesar E p h e m e r i d e m, sive Diarium rerum a se gestarum. Servius in XI. Aen. 743. *C. Iulius Caesar, quum dimicaret in Gallia -- Hoc autem ipse Caesar in Ephemeride sua dicit, ubi propriam commemorat felicitatem.* Imo Ephemeridem C. Caesaris laudat et Symmachus L. IV. ep. XVIII. Ubi quidam Balbi intelligunt Ephemeridem Sidonio memoratam libro IX. ep. XIV. Nam Balbum res Caesaris non curasse solum, quod Gellius refert L. XVII. c. 9. sed etiam scripsisse auctor est Suetonius in Iulio c. LXXXI. Sed a Sidonio [*lege: Symmacho*] non aliud opus intelligitur quam Commentarii Caesaris de bello Gallico. Haec enim ibidem Suetonius [*lege: Symmachus*] subiungit: *Haec* (Ephemeris C. Caesaris) *te origines, situs, pugnas, et quidquid fuerit in moribus, aut legibus Galliarum, docebit.* Quae optime conveniunt Commentariis Caesaris. Imo omnem scrupulum eximit, quod in MSSis quibusdam haec verba subscribantur, ultimo libro de bello Gallico: *C. Iulii Caesaris Pontificis Maximi Ephemeris rerum gestarum belli Gallici lib. VIII. explicit feliciter.* Ut nihil peccet Paullus Merula, Cosmographiae L. II. c. XVII. ubi iubet nos ea, quae Caesar novennio in Galliis gessit, petere ex lib. VII, Ephemeridum ipsius Caesaris. Nam non alio respexit, quam quo dixi.''

(†) Fabricius in Bibl. Lat. L. I. c. 10. §. 2. *d.* videtur suspicari Servium habuisse uberiores, quam nos habemus, Caesaris Commentarios; sic enim scribit: » *Servius in XI Aeneid. hos Iulii Caesaris commentarios vocat* Ephemerides, *quia tempus utcunque observant. Neque enim aliud opus Caesaris Ephemerides putaverim, licet, quae a Servio ex illis proferuntur, hodie desideramus. Sunt certe quaedam, ut norunt eruditi, in his libris de bello Gal-*

de Hist. Lat. L. I. c. XIII. et Dionys. Vossium, qui Caesaris *Ephemerides* a *Commentariis* opus esse diversum censuerunt; nam, praeterquam quod earum mentionem non faciat Suetonius in Iul. c. LV et LVI. ubi Caesaris opera accurate recenset, certum est *ἐφημερίδας* a sequioris aevi scriptoribus laxius esse sumptas, adeo ut non modo *Diarium*, verum etiam *Annales* seu *Historiam* denotent. Hinc Dictyis Historiam *Ἐφημερίδα* vocat Suidas, et *Ephemeridem Belli Troiani* Q. Septimius Romanus in Epistola ad Arcadium, Dictyi praemissa, quum multum absit, ut in ea per dies singulos res gestae scribantur. Quin et Plutarchus in Caes. p. 718. D. ex Caesaris *Ἐφημερίσιν* ea laudat, quae in Commentariorum de B. Gall. L. IV. c. 12. hodienum exstant; et Symmachus L. IV. Ep. XVIII. de Caesaris ephemeride sic loquitur: *Haec te origines, situs, pugnas, et quidquid fuit in moribus aut legibus Galliarum, docebit*, quam descriptionem accurate his Commentariis congruere lubens fatetur Vossius. Nec obstat, quod Polyaenus et Frontinus complura Caesaris strategemata recenseant, quorum in hisce Commentariis nec vola nec vestigium; ea enim hausta esse poterunt vel ex *Asinii Pollionis Commentariis*, quos memorant Plutarchus in Pompeio p. 657. et in Caes. p. 739. ac Appianus L. II. B. Civ. p. 489. aliique; vel ex *Balbi Ephemeride*, de qua Sidonius Apollinaris L. IX. Ep. XIV. ut historicos bene multos praeteream, qui praeclara Caesaris facinora posteris tradiderunt."

Davisii sententiae se opposuit Schweighaeuserus ad Appiani l. c. T. III. p. 184 sqq. qui, ut ostendat librum illum quem Appianus memorat, diversum fuisse a Commentariis Caesaris, contendit Appianum, si *Commentarios* significasset et *Ὑπομνημάτων* titulo noluisset uti, quo alii Graeci scriptores [v. c. Strabo. L. IV. p. 177. B.] utuntur, saltem debuisse dicere *ἀναγραφὰς τῶν ἰδίων ἔργων*, non vero *ἀναγραφὰς τῶν ἐφημέρων ἔργων*. Quod argumentum mihi quidem levius videtur; nam si Plutarcho licuit Caesaris Commentarios, neglecto proprio nomine *Ὑπομνημάτων*, fictoque novo vocare *Ἐφημερίδας*, quidni Appiano concedamus eodem iure uti? Et quis est qui in Servio velit culpare, quod excusavit in Symmacho? Profecto enim, si latiori quodam sensu hoc *Ephemeridum* nomen accipias, nec nativam et strictam vocabuli significationem nimium premas (*), potest illo titulo insigniri illud exponendarum rerum genus quod in Commentariis suis Caesar secutus est. Imo vero iam ipse Cicero sibi permisit Caesariani operis titulum ita immutare ut *Ephemeridum* nomen non ita multum recedere videatur; sic enim scribit in Bruto c. 75. 262. *Atque etiam Commentarios quosdam scripsit rerum suarum. Valde quidem probandos: nudi enim sunt, recti, et venusti, omni ornatu orationis, tamquam veste detracta.* quem sequitur Suetonius in Caes. c. 56. *Reliquit et rerum suarum Commentarios, Gallici Civilisque belli Pompeiani. Nam Alexandrini, Africique et Hispaniensis incertus auctor est -- De commentariis Cicero in Bruto sic refert: Commentarios scripsit valde quidem probandos* cet. Eum denique titulum more suo vertens Suidas scripsit: *Γάϊος Ἰούλιος Καῖσαρ, ὁ πρῶτος μοναρχήσας. Οὗτος ἔγραψε μετάφρασιν τῶν Ἀράτου Φαινομένων, καὶ τέχνην γραμματικὴν Ῥωμαϊκῶς, καὶ περὶ τοῦ ἰδίου βίου.* Sed postremis illis verbis nihil aliud videtur significasse quam, quos habemus, Commentarios.

Expensis singulis testimoniis equidem nequaquam dubito cum Davisio negare ullam unquam exstitisse Iulii Caesaris scriptionem, diversam ab eiusdem Commentariis, quae Ephemeris fuerit inscripta. Repeto igitur, quod ab initio dixi, minus recte Caesarem inter eos referri, qui suam ipsi vitam narraverunt.

Cffr. Rualdus, in Animadv. ad insigniora σφάλματα Plutarchi c. XXI. (in edit. Reiskii T. IV. p. 858.) Ger. Io. Vossius, de Hist. Lat. L. I. c. 13. Dion. Vossius, in notis ad Caesarem de B. Gall. L. I. c. 1. (in edit. Oudend. p. 2.) Davisius, in notis ad Caesaris Fragmenta (in edit. Oudend. p. 998.) Schweighaeuser. ad Appian. T. III. p. 184 sqq.

---

lico lacunae." Id mihi tamen non veri simile videtur, qui dubitare audeam an Caesaris scripta Servio fuerint cognita. Hoc certe verissimum est, nusquam in toto Servii Commentario, praeterquam hoc loco, ullius Caesariani operis mentionem fieri. Sed qui Servii Scholia norunt, vix audebunt iis plenam fidem habere nisi in rebus quae aliunde confirmantur. Qualem enim nunc habemus Servium, plurimis locis et fere ubique misere est interpolatus, adeo quidem, ut potius farrago ex variorum interpretum Commentariis in unum consarcinata, quam iustae formae Commentarius dici mereatur. Vide Virorum doctorum iudicia quae citavimus in Hist. Crit. Scholiastarum Lat. c. XII. P. II. p. 86 sqq.

(*) *Quum non per annos*, ita scribit Gellius L. V. c. 18. 7. *sed per dies singulos res gestae scribuntur, ea historia Graeco vocabulo ἐφημερὶς dicitur.* Similiter Suidas: *Ἐφημερὶς, τῶν ἐφ' ἑκάστης ἡμέρας συμπιπτόντων ἀπογραφή.* De Commentariis Caesaris contra ita scribit auctor libri VIII. c. 48. *Scio Caesarem singulorum annorum singulos Commentarios confecisse.*

§. 8. C. Caesar Octavianus Augustus.

Imperatorem Caesarem Augustum, quum summa rerum esset potitus et tanta negotia sustineret solus, eloquentiam et studia liberalia, quibus ab ineunte aetate diligenter incubuerat, nunquam etiam provectioribus annis neglexisse, res est notissima. Nec enim tantummodo in senatu, et apud populum, et apud milites nunquam locutus est nisi meditata et composita oratione; sed etiam, quod tum aliunde novimus, tum vero expresse narrat Suetonius in eius vita c. 85. Augustus *multa, varii generis, prosa oratione composuit, ex quibus nonnulla in coetu familiarium, velut in auditorio, recitavit: sicut, Rescripta Bruto de Catone: quae volumina quum iam senior ex magna parte legisset, fatigatus, Tiberio tradidit perlegenda. Item Hortationes ad philosophiam: et aliqua de Vita Sua, quam tredecim libris, Cantabrico tenus bello, nec ultra, exposuit. Poëticam summatim attigit. Unus liber exstat, scriptus ab eo hexametris versibus, cuius et argumentum, et titulus est Sicilia. Exstat alter, aeque modicus, Epigrammatum, quae fere tempore balnei meditabatur.* Praeterea multi alii passim apud Veteres memorantur libri ab Augusto scripti; ex quibus quae supersunt Fragmenta primum collegit Ian. Rutgersius Var. Lectt. L. II. p. 135 — 180. deinde Io. Alb. Fabricius, Imperat. Caes. Augusti temporr. notation. genus et scriptt. fragmm. *Hamburg.* 1728. 4°. Post Rutgersium et Fabricium, nostra aetate denuo Aug. Weichertus coepit edere Imperatoris Caesaris Augusti Operum Reliquias, *Grimae* 1841. 4°. sed huius egregii libri adhuc primum tantummodo fasciculum prodiisse, aut saltem in hasce terras evolasse, est quod magnopere doleamus.

Nos autem nunc quidem reliquos Augusti libros missos faciemus et explicabimus tantummodo quae nobis innotuerunt de libris, quos de Vita Sua scripsisse dicitur.

Et quod ad numerum quidem librorum attinet, Suetonio adsentitur Suidas, cuius haec sunt: *Αὔγουστος Καῖσαρ, ὁ καὶ Σεβαστὸς καὶ Ὀκταουϊανὸς ἐπικληθεὶς περὶ τοῦ ἰδίου βίου καὶ τῶν πράξεων βιβλία ιγ'.* ita ut peccare videatur Torrentius, qui, nescio cuius Codicis fidem secutus, in Suetonio pro *XIII.* reposuit *XXX.* Sed Torrentium iam notavit Casaubonus, docens non aliter habere libros veteres omnes, qua scriptos qua editos, cum Suida consentientes.

Porro e Plutarcho novimus Augustum hosce Commentarios inscripsisse duobus amicis suis, Agrippae et Maecenati. Hic enim, ubi in Compar. Demosth. cum Cicer. p. 887. B. provocat ad testimonium Caesaris *ἐν τοῖς πρὸς Ἀγρίππαν καὶ Μαικήναν Ὑπομνήμασιν*, vix aliud quoddam Augusti scriptum potuit significare quam Commentarios de Vita; quos et ipse alibi saepius et Appianus et Dio Cassius vocavit *Ὑπομνήματα.*

Sed in primis memoratu dignum est, quod dixit Suetonius, Augustum exposuisse vitam suam *Cantabrico tenus bello, nec ultra.* Ex quibus verbis apparet Augustum in exponendis rebus suis non ultra a. 729. processisse, quo, Consulatum nonum gerens cum M. Iunio Silano, ex Hispania rediit, victisque duobus fortissimis populis, Cantabris et Asturibus, Iani templum secundo clausit.

Suetonius autem quin hoc probe novisse potuerit, nequaquam licet dubitare, quum fere sit certissimum ipsos Augusti libros ei fuisse cognitos. Etsi enim Suetonius nusquam expresse memorat quantum ex ipsius Augusti Commentariis profecerit, veri tamen est simillimum, pleno ore ipsum in conscribenda vita Augusti ex eo fonte hausisse: facileque adducor ut credam inde hausta esse pleraque ea, quae ab ipso narrantur additis dictionibus *ipse Augustus scribit, ipse dicit, ait*, similibus. Cuius modi sunt sequentia:

c. 2. *Sed haec alii. Ipse Augustus, nihil amplius, quam equestri familia ortum se, scribit, vetere ac locuplete, et in qua primus senator pater suus fuerit.*

c. 7. *Sed et a M. Antonio, in epistolis, per contumeliam, saepe Thurinus appellatur: et ipse nihil amplius, quam mirari se, rescribit, pro opprobrio nomen prius sibi obiici.*

c. 27. *Et Q. Gallium, praetorem, in officio salutationis, tabellas duplices, veste tectas, tenentem, suspicatus gladium occulere: nec quidquam statim, ne aliud inveniretur, ausus inquirere, paulo post, per centuriones et milites raptum e tribunali, servilem in modum torsit: ac fatentem nihil, iussit occidi, prius oculis eius sua manu effossis: quem tamen scribit, colloquio petito, insidiatum sibi, coniectumque a se in custodiam, deinde, urbe interdicta, dimissum, naufragio, vel latronum insidiis, periisse.*

c. 42. *Magna vero quondam sterilitate, ac difficili remedio, quum venalitias, et lanistarum familias, peregrinosque omnes, exceptis medicis et praeceptoribus, partemque servitiorum, urbe expulisset: ut tandem annona convaluit, impetum se cepisse, scribit, fru-*

mentationes publicas in perpetuum abolendi, quod, earum fiducia, cultura agrorum cessaret: neque tamen perseverasse; quia certum haberet, posse per ambitionem quandoque restitui.

c. 43. *Fecisse ludos se, ait, suo nomine quater: pro aliis magistratibus, qui aut abessent, aut non sufficerent, ter et vicies.*

c. 62. *Mox Scriboniam in matrimonium accepit, nuptam ante duobus consularibus, et ex altero etiam matrem. Cum hac quoque divortium fecit, pertaesus, ut scribit, morum perversitatem eius.*

c. 74. *Ipse scribit invitasse se quemdam, in cuius villa maneret, qui speculator suus olim fuisset.*

Et fortasse plura in Suetonii scripto latebunt fragmenta Vitae Augusti ab ipso conscriptae, quae huius modi indiciis non produntur. Quod si autem ea, quae dixi, revera ex ipsis Augusti Commentariis sint decerpta, pluribus illa mihi coniecturis suppeditant occasionem. Ex primo scilicet loco videmus Augustum etiam de familia sua et de parentibus suis locutum esse: inde igitur suspicari subit, Augustum ab ipsis natalibus suis incepisse Commentarios. Id autem dubitabat Heerenius, qui de Fontib. et auct. Vit. parall. Plut. p. 147. haec scribit: *Longe maiori usui fuere Plutarcho Caesaris Augusti Commentarii, quos ille, morem temporis sui secutus, de Vita Sua ac rebus a se gestis composuerat. -- Num iam a natalibus inceperint, ut pueritiam quoque ac iuvenilem aetatem enarraverit, dicere non habeo; maxime tamen res a se gestas inde a divi Iulii caede, ubi primum ad publica negotia accessit, triumviratum ac bellorum civilium historias usque ad pugnam Actiacam in iis expositas esse, dubio caret.*

Ex altero Suetonii loco videmur nobis non sine causa posse suspicari Augustum in Commentariis suis rescripsisse Epistolis adversus ipsum ab Antonio scriptis. Quod si verum est, eo quoque pertinebit locus Suetonii in Aug. c. 86. *M. quidem Antonium, ut insanum, increpat: quasi ea scribentem, quae mirentur potius homines, quam intelligant. Deinde ludens malum, et inconstans, in eligendo genere dicendi, ingenium eius, addit haec:* »*Tuque* »*dubitas, Cimberne Annius, an Veranius Flaccus, imitandi sint tibi? ita ut verbis,* »*quae C. Sallustius excerpsit ex Originibus Catonis, utaris? an potius Asiaticorum ora-* »*torum, inanibus sententiis, verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda?*" Quarum Epistolarum saepius meminit, qui eas novisse videtur, Suetonius in Aug. c. 2. 4. 68. 69. 70. Forsitan etiam aliorum criminationibus responderit Augustus, qui scriptis libris famosis in ipsum fuerant invecti. Nam, praeter Antonii Epistolas, apud Tacitum Ann. L. IV. c. 34. etiam de Bruti concionibus loquitur Cremutius Cordus, quae habebant *falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate.* Et ex eodem genere videtur fuisse Cassii Parmensis Epistola, qua Augustus *non tantum ut pistoris, sed etiam ut numularii nepos* erat taxatus, secundum Sueton. in Aug. c. 4. Tum quoque Iunius Novatus, teste eodem Sueton. in Aug. c. 51. *Agrippae iuvenis nomine, asperrimam de Augusto Epistolam in vulgus ediderat.* Denique de aliis famosis libellis, in curia sparsis, loquitur Suetonius, quos tamen Augustum non magna cura redarguisse scribit in Aug. c. 55.

Tertius deinde Suetonii locus in tertiam ducere videtur coniecturam. Quae enim de Q. Gallio diversa narrat Suetonius et aliunde et ex Augusti scriptis petita, eius modi sunt, ut Suetonius ipse fateri videatur, Augustum postea verbis voluisse solvere, quod prius re fecisset male. Quapropter equidem censeo vix dubitandum esse quin Augustus hac praecipua causa ad scribendum sit incitatus, ut averteret a se, quantum fieri posset, facinora in Triumviratu perpetrata: *in quo*, ut Suetonius in Aug. c. 27. scribit, *restitit quidem aliquamdiu collegis, ne qua fieret proscriptio; sed incoeptam utroque acerbius exercuit. Namque illis in multorum saepe personam, per gratiam et preces, exorabilibus, solus magno opere contendit, ne cui parceretur.*

Porro e sequentibus locis videtur apparere Augustum in hisce libris commemorasse etiam eius modi facta sua, quibus iure posset gloriari: quod non alia de causa fecerit, quam ut eos, quibus praesens rerum status displiceret, conaretur et sibi et reipublicae conciliare. Et erant profecto plurima, quae in hoc genere potuerint narrari; audi modo quibus verbis Velleius L. II. c. 89. illius temporis describat felicitatem: *Nihil optare*, inquit, *a diis homines, nihil dii hominibus praestare possunt; nihil voto concipi, nihil felicitate consummari, quod non Augustus, post reditum in Urbem, rei publicae, populoque Romano, terrarumque orbi repraesentaverit. Finita vicesimo anno bella civilia, sepulta externa, revocata pax, sopitus*

ubique armorum furor; restituta vis legibus, iudiciis auctoritas, senatui maiestas; imperium magistratuum ad pristinum redactum modum; tantummodo octo praetoribus alleoti duo; prisca illa et antiqua rei publicae forma renovata. Rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio; leges emendatae utiliter, latae salubriter; senatus sine asperitate nec sine severitate lectus.

Haec omnia praeclare gesta si cogites, addasque bella et victorias ab hoc imperatore reportatas, pacatumque victoriis terrarum orbem et innumera extra Italiam domique exstructa opera publica, Urbemque pro maiestate imperii ornatam, ut iure sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset, ut scribit Sueton. in Aug. c. 28. haec igitur si cogites, necesse erit, opinor, fatearis tantam fuisse Augusto scribendi materiam ut ea omnia iusto opere vix potuerint exprimi.

Commentarios autem Augusti fuisse Latino, non Graeco, sermone conscriptos, suspicari licebat ex Suetonio, qui narrat Augustum nihil unquam Graece componere esse ausum. *Ne Graecarum quidem*, inquit, in Aug. c. 89. *disciplinarum leviore studio tenebatur: in quibus et ipsis praestabat largiter, magistro dicendi usus Apollodoro, Pergameno, quem, iam grandem natu, Apolloniam quoque secum ab Urbe, iuvenis adhuc, eduxerat. Deinde eruditione, etiam varia, repletus est per Arei philosophi, filiorumque eius, Dionysii et Nicanoris, contubernium: non tamen, ut aut loqueretur expedite, aut componere aliquid auderet. Nam et, si quid res exigeret, Latine formabat, vertendumque alii dabat.* Sed manifeste illud apparet ex Plinio, qui illustre habet ex eo opere fragmentum. Quamquam autem is quidem non dicit esse ex libris de Vita, tamen non aliunde depromi cognoscimus ex verbis Baebii Macri apud Servium ad Virgil. Ecl. IX. 47. qui, eamdem rem narrans, addit: *Hoc etiam Augustus in libro secundo de memoria Vitae suae complexus est.*

Cffr. Vossius, de Hist. Lat. L. I. c. 18. Funccius, de Virili aetate L. L. Parte I. c. 2. §. 18. p. 154. Westermann, §. 83. p. 276. Meyer, §. CVIII. p. 515. Bähr, §. 216. T. II. p. 83. Heeren, de Fontib. et auctor. vit. parall. Plut. p. 147. 175. 178 sq. 183. 186. Ian. Rutgersius, Variar. Lectt. Libri sex. *Lugd. Bat.* 1618. 4°. L. II. c. 14. p. 158. sqq. Io. Alb. Fabricius, Imp. Caes. Augusti Temporum notatio, genus, et scriptorum Fragmenta. *Hamburgi* 1727. 4°. p. 190. C. W. de Rhoer, Dissert. Philolog. de Studiis literariis Caesaris Augusti. *Groningae* 1770. 4°. Aug. Weichert, Imperatoris Caesaris Augusti Scriptorum Reliquiae. *Grimae* 1841. 4°.

Fragmenta.

Lib. II.

(*Plinius Hist. Nat. L. II. c.* 25. (23.)). Cometes in uno totius orbis loco colitur in templo Romae, admodum faustus Divo Augusto iudicatus ab ipso: qui incipiente eo apparuit ludis, quos faciebat Veneri Genetrici, non multo post obitum patris Caesaris, in Collegio ab eo instituto. Namque his verbis id gaudium prodidit: *Iis ipsis ludorum meorum diebus sidus crinitum per septem dies in regione coeli, quae sub septemtrionibus est, conspectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque et omnibus e terris conspicuum fuit. Eo sidere significari vulgus credidit, Caesaris animam inter Deorum immortalium numina receptam: quo nomine id insigne simulacro capitis eius, quod mox in foro consecravimus, adiectum est.* Haec ille in publicum, interiore gaudio sibi illum natum, seque in eo nasci interpretatus est: et, si verum fatemur, salutare id terris fuit.

(*Servius ad Virgil. Ecl. IX.* 47.) Quum Augustus Caesar ludos funebres patri celebraret, die medio stella apparuit: ille eam esse confirmavit parentis sui. -- Baebius Macer circa horam octavam stellam amplissimam quasi lemniscatis coronatam ortam dicit, quam quidam ad illustrandam gloriam Caesaris iuvenis pertinere existimabant. Ipse animam patris sui esse voluit, eique in Capitolio statuam, super caput auream stellam habentem, posuit. Inscriptum in basi fuit: *Καίσαρι ἡμιθέῳ.* Sed Vulcatius aruspex in concione dixit cometen esse, qui significaret exitum noni seculi, et ingressum decimi, sed quod invitis Diis secreta rerum pronuntiaret, statim se esse moriturum; et, nondum finita oratione, in ipsa concione concidit. Hoc etiam Augustus in libro secundo de memoria vitae suae complexus est.

(*Ulpianus L. IX. de Offic. Proc. in l. 1. D. de cadav. punitor.*) Corpora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non sunt. Et id se observasse etiam D. Augustus libro X. de Vita Sua scribit.

† (*Plut. in Bruto c. 27. p. 996. C.*) *Καὶ τὸν μὲν Ἀντώνιον, πέμπων, εἰς φιλίαν προὐκαλεῖτο, τὰς δὲ δυνάμεις τῇ πόλει περιστήσας, ὑπατείαν ἔλαβεν, οὔπω πάνυ μειράκιον ὤν, ἀλλ' εἰκοστὸν ἄγων ἔτος, ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς Ὑπομνήμασιν εἴρηκεν.*

† (*Plut. in Compar. Demosth. cum Cic. c. 3. p. 887. B.*) *Ἡ μὲν οὖν ἐν τῷ δημηγορεῖν καὶ πολιτεύεσθαι δύναμις ὁμαλῶς ἀμφοτέροις ὑπῆρξεν, ὥςτε καὶ τοὺς τῶν ὅπλων καὶ στρατοπέδων κυρίους δεῖσθαι, Δημοσθένους μὲν Χάρητα καὶ Διοπείθην καὶ Λεωσθένην, Κικέρωνος δὲ Πομπήϊον καὶ Καίσαρα τὸν νέον, ὡς αὐτὸς ὁ Καῖσαρ ἐν τοῖς πρὸς Ἀγρίππαν καὶ Μαικήναν Ὑπομνήμασιν εἴρηκεν.*

† (*Plut. in Anton. c. 22. p. 925. A.*) *Ὡς μέντοι διαβάντες ἥψαντο πολέμου, καὶ παρεστρατοπέδευσαν τοῖς πολεμίοις, Ἀντωνίου μὲν ἐπιτεταγμένου Κασσίῳ, Βρούτῳ δὲ Καίσαρος, οὐδὲν ἔργον ἐφάνη μέγα τοῦ Καίσαρος, ἀλλ' Ἀντώνιος ἦν ὁ νικῶν πάντα καὶ κατορθῶν. τῇ μέν γε προτέρᾳ μάχῃ Καῖσαρ ὑπὸ Βρούτου κατὰ κράτος ἡττηθεὶς, ἀπέβαλλε τὸ στρατόπεδον, καὶ μικρὸν ἔφθη τοὺς διώκοντας ὑπεκφυγών· ὡς δὲ αὐτὸς ἐν τοῖς Ὑπομνήμασι γέγραφε, τῶν φίλων τινὸς ὄναρ ἰδόντος, ἀνεχώρησε πρὸ τῆς μάχης.*

† (*Appian. de B. Civ. L. IV. c. 110. p. 653.*) *Ἀρξάμενοι δ' ἅπαξ ἔργου, καὶ τῷ Καίσαρος στρατῷ, τεταγμένῳ μάλιστα κατὰ σφᾶς, ἐπέδραμον· καὶ τρέψαντες ἐδίωκον, μέχρι καὶ τὸ στρατόπεδον ἐξεῖλον, ὃ κοινὸν ἦν Ἀντωνίῳ τε καὶ Καίσαρι· Καίσαρος αὐτοῦ δι ἐνύπνιον ἔνδον οὐκ ὄντος, ἀλλὰ φυλαξαμένου τὴν ἡμέραν, ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς Ὑπομνήμασιν ἔγραψεν.*

† (*Plut. in Bruto c. 41. p. 1003. C.*) *Καὶ Καῖσαρ μὲν (ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς Ὑπομνήμασιν ἱστορεῖ) τῶν φίλων τινὸς, Ἀρτωρίου Μάρκου, καθ' ὕπνον ἰδόντος ὄψιν κελεύουσαν ἐκστῆναι Καίσαρα καὶ μετελθεῖν ἐκ τοῦ χάρακος, ἔφθασε μικρὸν ὑπεκκομισθεὶς, ἔδοξέ τε τεθνάναι.*

† (*Appian. de B. Civ. L. V. c. 42 sqq. p. 695.*) *Ὡς δὲ ἐπὶ τὴν τάφρον ἀφίκοντο, προςηγόρευσάν τε ἀλλήλους, καὶ ὁ Λεύκιος ἔφη· Εἰ μὲν ξένος ὢν ἐπολέμησα, ὦ Καῖσαρ, αἰσχρὰν ἂν τὴν τοιαύτην ἧσσαν ἡγούμην, καὶ αἰσχίονα ἔτι τὴν παράδοσιν· κ. τ. λ. Τοιαῦτα δὲ εἰπόντος τοῦ Λευκίου καὶ σιωπήσαντος, ὁ Καῖσαρ ἔλεξεν· Ἄσπονδον μέν σε κατιόντα πρὸς ἐμὲ ὁρῶν, ὦ Λεύκιε, ὑπήντησα τῶν ἐμῶν ἐρυμάτων ἔτι ἐκτὸς ὄντα κατὰ σπουδὴν, ἵνα ἔτι κύριος ὢν σεαυτοῦ βουλεύοιο, καὶ λέγοις καὶ πράττοις ἃ νομίζεις σοι συνοίσειν· κ. τ. λ. Ταῦτα μὲν ἔλεξαν ἀλλήλοις, ὡς ἐκ τῶν Ὑπομνημάτων ἦν ἐς τὸ δυνατὸν τῆςδε τῆς φωνῆς μεταβαλεῖν τεκμαιρομένῳ τῆς γνώμης τῶν λελεγμένων.*

† (*Dio Cassius L. XLVIII. c. 44. p. 384. A.*) *Συνοικοῦσα δὲ ἤδη ἡ γυνὴ τῷ Καίσαρι, τίκτει Κλαύδιον Δροῦσον Νέρωνα. καὶ αὐτὸν ὁ Καῖσαρ καὶ ἀνείλετο, καὶ τῷ πατρὶ ἔπεμψεν· αὐτὸ τοῦτο ἐς τὰ Ὑπομνήματα ἐγγράψας, ὅτι Καῖσαρ τὸ γεννηθὲν Λιουΐᾳ, τῇ ἑαυτοῦ γυναικὶ, παιδίον Νέρωνι τῷ πατρὶ ἀπέδωκε.*

† (*Plut. in Anton. c. 69. p. 947. E.*) *Ἐν Ἀκτίῳ δὲ πολὺν ὁ στόλος ἀντισχὼν Καίσαρι χρόνον, καὶ μέγιστον βλαβεὶς ὑπὸ τοῦ κλύδωνος ὑψηλοῦ κατὰ πρῴραν ἱσταμένου, μόλις ὥρας δεκάτης ἀπεῖπε. καὶ νεκροὶ μὲν οὐ πλείους ἐγένοντο πεντακιςχιλίων, ἑάλωσαν δὲ τριακόσιαι νῆες, ὡς αὐτὸς ἀνέγραψε Καῖσαρ.*

† (*Servius ad Virgil. Aen. VIII. 696.*) Augustus in commemoratione Vitae Suae refert, Antonium iussisse, ut legiones suae apud Cleopatram excubarent, eiusque nutu et iussu parerent.

† (*Appian. de reb. Illyr. c. 14. p. 1202.*) *Τὰ μὲν δὴ πάλαι τοσαῦτα περὶ Ἰλλυριῶν καὶ Παιόνων ἔσχον εὑρεῖν. ἐν δὲ τοῖς Ὑπομνήμασι τοῦ δευτέρου Καίσαρος, τοῦ κληθέντος καὶ Σεβαστοῦ, παλαιότερον μὲν οὐδὲν οὐδ' ἐν τοῖςδε περὶ Παιόνων εὗρον.*

Non minimam Augusti Commentariorum partem in Plutarchi Antonio Graece expressam superesse opinatur Heerenius; cuius disputationem nefas sit ad hunc locum non referre. Is igitur in libro de Fontib. et auctor. Vit. parall. Plut. p. 178. haec scribit: »Sed venio ad alteram vitae Antonii partem, 14 annorum spatium complectentem; inde nempe a Caesaris nece, usque ad ipsius Antonii interitum; in qua eius historiam haud exiguam rei publicae Romanae historiae partem fuisse, inter omnes constat. Hic vero statim in oculos incurrit, Plutarchum fere in omnibus auctorem sibi praeeuntem habuisse, qui esset ex adversariis Antonii. Fuit vero hic nemo alius quam ipse **Caesar Augustus**; ita ut non minimam Commentariorum de Vita Sua partem in Plutarchi Antonio graece expressam nobis superesse, extra dubitationis aleam positum esse credam. Primo enim Plutarchus ipse, se Commentarios hos ante oculos habuisse, testatur; si quidem bis in Antonio ad eorum auctoritatem expresse provocat [p. 925. A. p. 947. E.];

quod autem non saepius ac ubivis eos nominat, id pro more suo fecit. Ex his itaque inde a capite fere 16 [p. 922. D.] usque ad finem (si ea exceperis, quorum fontes infra indicabimus), expressa esse tantum non omnia, quilibet facile concedet, qui Plutarchum attentius legerit. Continuatos fuisse vidimus supra Augusti Commentarios usque ad initium principatus ac ultra Antonii mortem; continebant itaque omne hoc temporis spatium, in quo utriusque fata et bello et pace ita inter se invicem coniuncta erant, ut suam historiam ab illa Antonii separare prorsus non posset Augustus. Propositum autem sibi hoc maxime habuisse Caesarem in Commentariis suis, ut turbarum civilium, ac belli inde exorti culpam a se in Antonium transferret, facile coniectare licet. Confirmat hoc iam omnis narrationis indoles ac color; si vero ad singula descendas, pauca sunt, in quibus Caesaris Augusti genium non agnoscas; plura vero occurrunt quae vix ab alio sciri, adeoque tradi potuerint. Incipit itaque sequi Caesaris Augusti auctoritatem, ubi adventus eius in Urbem post Caesaris caedem narratur; a quo ipse quoque (praemissis forte nonnullis de pueritia) incepisse videtur Caesar Augustus. Habes hic statim primum eius cum Antonio colloquium, seu potius altercationem [p. 922. E.]. In triumviratus historia plures quidem se consultasse ipse monet Plutarchus [p. 924. B.], quae tamen cap. 21. de Antonii avaritia ac moribus profligatis legimus [p. 924. F.], nos Caesari Augusto debere, minime dubito. Mox vero in belli cum Bruto et Cassio historia (quam hic leviter tantum perstringit, quum in Bruto copiosius exposita esset), ipse Caesarem nomine addito citat [p. 925. A.]. Quae mox post pugnas ad Philippos de transitu Antonii in Asiam, de incredibili eius fastu ac luxuria narrat, ubi otio et lascivia diffluebat, ac inter mimos et citharoedos tempus perdebat, dum principes et reges ianuam eius obsiderent; urbem vero Ephesum Bacchico comitatu ingrediebatur, dum Caesar Augustus Romae seditionibus et bellis fatigaretur [p. 925. E.]; haec omnia ita exposita sunt, ut ab Antonii adversario exspectari poterat. In primis autem quae inde a capite 52 [p. 926. D.] de Cleopatrae in Asiam adventu, eiusque cum Antonio amoribus traduntur, ita enarrata invenies, ut a solo tantum Caesare Augusto enarrari potuerint. Clarum hoc erit, si quae de bello a Fulvia Antonii uxore, ut maritum ex Aegypto revocaret, in Italia contra Caesarem excitato, ac mox post Fulviae obitum de pace cum Antonio et de Octaviae, Caesaris sororis, cum eo nuptiis, contuleris [p. 929. C.]. Hanc enim sororem, etsi non esset uterina, prae aliis dilectam esse novimus ab Augusto; in Plutarcho autem ita eam depictam videbis, ut fraternum amorem facile in eo agnoscas [p. 929. D.]. Habes cap. 35. ipsa Octaviani, ut eam in gratiam cum marito reduceret, verba [p. 931. E.]; quae quis praeter ipsum Octavianum rescire potuit? Haec itaque omnia, si narratiunculam de incredibili sumtu, quem in coenam fecere Antonius et Cleopatra, quam auditu se ab avo Lampria, qui erat amicus Philotae medici, tunc Alexandriae versantis, accepisse tradit noster [p. 928. A. B.], exceperis, ex Caesaris Augusti Commentariis hausta esse, nullus dubito.'' — Deinde p. 183. ita pergit: »Quod ad ea attinet quae vel Antonio propria, vel ei cum Cleopatra communia fuere, in his quoque plurima ex Caesaris Augusti Commentariis desumta esse, minime dubito; quibus quoque annumeranda sunt, quae passim de ominibus et portentis quae Octaviano fausta, Antonio adversa apparuere, commemorantur [p. 943. F.]. Minime enim haec neglecta esse ab Octaviano, superstitionibus hisce admodum dedito, vel ex unico fragmento patet a Plinio ex Commentariis eius latine nobis servato, in quo post Caesaris caedem cometam apparuisse tradit, per septem dies conspicuum, quo eum inter Deos relatum esse significatum sit [Plin. L. II. c. 25.]'' — Denique p. 186. »Quae de triumvirorum proscriptione, qua Cicero quoque periit, legimus in vita Ciceronis [p. 884. C.], ex ipsa narratione, quum per triduum sese restitisse Antonii postulatis narrat Octavius, ex Augusti Commentariis petita esse, iam concludere liceret; nisi mox in comparatione Ciceronis cum Demosthene ipse Plutarchus Augustum testem adhibuisset [p. 887. B.].''

§. 9. M. Vipsanius Agrippa.

Augusto statim subiiciemus M. Vipsanium Agrippam, cuius res cum Augusti rebus proxime fuerunt coniunctae; ita quidem, ut vix aliter fieri potuerit, quin Agrippa in libris, quos de Vita Sua scripsit, frequentem fecerit mentionem Augusti: sive narrandae essent res, quas simul cum Augusto gessit, sive dicendum esset de honoribus, qui ab Augusto obtigerunt ipsi, sive denique de muneribus, in quibus Augustum habuit collegam.

Nec enim tantummodo Agrippa eodem, quo Augustus, natus est anno, et eodem tempore cum ipso moratus est Apolloniae, ut ambo liberalibus disciplinis erudirentur; sed deinceps etiam Augustus fere per omnem vitae suae cursum Agrippam habuit comitem et amicum, in multis rebus etiam adiutorem et consiliarium. Sic Augusto adfuit in bello Perusino, quod gestum est a. 713. ibique et Sutrium, oppidum hosti opportunum, occupavit, et alia edidit virtutis bellicae specimina, quae narrat Appianus de B. Civ. L. V. c. 31—50. Paucis annis post, quum novum exarsisset bellum inter Augustum et Sext. Pompeium, *aedificandis navibus*, ut scribit Velleius L. II. c. 79. *contrahendoque militi ac remigi, navalibusque adsuescendo certaminibus atque exercitationibus, praefectus est M. Agrippa, vir virtutis nobilissimae, labore, vigilia, periculo invictus, parendique, sed uni, scientissimus, aliis sane imperandi cupidus, et per omnia extra dilationes positus, consultisque facta coniungens. Hic in Averno ac Lucrino lacu speciosissima classe fabricata, quotidianis exercitationibus militem remigemque ad summam et militaris, et maritimae rei perduxit scientiam.*

Anno 719 et sequenti Augustum comitatus est in expeditionibus contra Illyrios et Dalmatas; ibique, quum in obsidione Metuli, quod caput erat Iapydum, tres pontes ab hostibus essent suffossi et tantus metus incessisset Romanos ut in quartum, qui reliquus erat, pontem nemo auderet succedere, Agrippa fuit primus, qui, Augusti exemplum secutus, cursu se proripuit in pontem: si scilicet fides habenda sit Appiano de B. Illyr. c. 20. praeter quem, quantum equidem scio, nullus alius scriptor narravit Agrippam huic bello adfuisse.

Certior autem res est de pugna Actiaca, in qua, ut scribit Plutarchus in Anton. p. 946. A. *Καῖσαρ ἐπὶ τοῦ εὐωνύμου τάξας Ἀγρίππαν, αὐτῷ τὸ δεξιὸν κατέλιπε.* Ergo

Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar
Cum Patribus, Populoque, Penatibus et magnis Dis:
Parte alia ventis et Dis Agrippa secundis
Arduus agmen agens,

ut Virgilius canit Aen. VIII. 678. bellum confecerunt, reportata illustrissima victoria, quae initium fuit otii et tranquillitatis exoptatissimae.

Et ab eo quidem inde tempore maior etiam Augustum inter et Agrippam exstitit amicitiae coniunctio. Tum enim hunc praecipue et Maecenatem adhibere coepit Augustus, quorum consilio uteretur et quibus *πάντα τὰ ἀπόῤῥητα ἀνεκοίνου*, ut scribit Dio Cassius L. LII. c. 1. p. 464. D. Mox vero Augustus amicum suum, qui antea iam amplissimis in re publica functus erat muneribus, ut Praetura a. 714. Consulatu a. 717. et Aedilitate a. 721. in Censura collegam sibi fecit a. 725. ut Senatum ad pristinum modum et splendorem redigeret; in quem ordinem, bellis civilibus tot equites adsciti erant et plebeii indignissimi, ut senatorum numerus pervenisset ad millenarium. Cf. Dio Cassius L. LII. c. 42. p. 494. A. Sueton. in Aug. c. 35.

Deinde Agrippam *usque in tertium consulatum amicitia principis evexit;* quae Velleii verba L. II. c. 90. ita videntur intelligenda ut Agrippa, qui dudum consul fuerat, creatus cum L. Caninio Gallo a. 717. hic dicatur alterum (a. 726.) et mox vel tertium consulatum (a. 727.) nactus esse per amicitiam Augusti: de qua amicitia ita scribit Dio Cassius L. LIII. c. 1. p. 496. C. *τὸν γὰρ Ἀγρίππαν ἐς ὑπερβολὴν ἐτίμα· ἀμέλει τήν τε ἀδελφιδῆν αὐτῷ συνῴκισε, καὶ σκηνήν, ὁπότε συστρατεύοιντο, ὁμοίαν τῇ ἑαυτοῦ παρεῖχε· τό, τε σύνθημα παρ' ἀμφοτέρων σφῶν ἐδίδοτο.*

Tandem vero intima illa familiaritas gravissime videtur esse rupta. Rem narrat Dio Cassius L. LIII. c. 30. p. 517. B. sq. Scilicet Augustus consul XI. cum Calpurnio Pisone adeo gravi morbo decubuit, ut nulla spes salutis adesset. Itaque omnibus, ut mox moriturus, dispositis, et magistratibus, senatorumque et equitum primoribus ad se vocatis, libellum, in quem exercituum et redituum publicorum indicem conscripserat, quem Suetonius in Aug. c. 28. vocat *Rationarium Imperii*, tradidit Pisoni, Agrippae autem annulum. Id igitur summam apud omnes excitavit admirationem quod Augustus Agrippam praetulisset Marcello, quem, sororis suae Octaviae filium, ita amavisset et tot ac tantis ornasset honoribus ut omnes arbitrarentur, hunc, si quid accidisset Caesari, successorem potentiae eius futurum. Porro Augustus allevato corpore, quum intelligeret his de causis Marcellum simultatem aliquam contra Agrippam suscepisse, ne, si uno in loco mansissent, offensae inter eos ac contentiones intercederent, Agrippam continuo in Syriam amandavit, *sub specie*, ut Velleius L. II. c. 93. scribit, *ministeriorum principalium, ut fama loquitur, ob tacitas cum Marcello offensiones.* At vero Agrippa, Urbe profectus, non perrexit in Syriam, sed, missis eo legatis suis, Lesbi permansit; et quidem Mitylenis, secundum Suetonium in Aug. c. 66. et in Tib. c. 10.

Huncce discessum num mirum videatur si Agrippa tulerit aegerrime? Quid alii senserint, licet quodam modo intelligi ex Plinio, qui L. VII. c. 46. (45.), ubi sortis humanae volumina enumerat, quae in Divo Augusto reperiuntur, nominat quoque *pudendam Agrippae ablegationem.* Quamquam non diu duravit: nam, Marcello paulo post mortuo, Agrippa in Italiam revocatus est et deinceps summo honore auctus, ita ut a. 734. praefuerit expeditioni in Galliam, Germaniam et Hispaniam, ubi Cantabros vicit, et mox Romam redux evectus sit in collegium Tribunitiae potestatis; quam potestatem obtinuit usque ad a. 736. quo mortuus est, aetatis anno LI.

In illo igitur, quem dixi, discessu, Agrippa Mitylenis, nescius futurae sortis, et scripsisse et edidisse videtur libros de Vita Sua et rebus a se gestis: ut quondam fecerat P. Rutilius in eodem angulo exul. Quod si verum est, dicamus Agrippae hanc ante omnia fuisse scribendi causam, ut falsa liberaret se affectati imperii suspicione, expositisque iis, quae in patriae suae commodum fecisset, et aequales et posteritatem doceret, debuisse sibi obtingere meliorem sortem, quam quae nunc obtigisset.

Cffr. Vossius, de Hist. Lat. L. I. c. 18. Westermann, §. 84. p. 281. Meyer, §. CIX. p. 522. Bähr, §. 216. T. II. p. 84. D. van Lankeren Matthes, Specim. Historico-Lit.

de M. Vipsanii Agrippae in Rem publicam Romanam meritis. *Amstel.* 1841. 8º. p. 19. Reliquorum labores, qui de Agrippa scripserunt, nomine tantum mihi innotuerunt, ut sunt: G. C. Gebauer, de M. Agrippa. *Lipsiae* 1717. in ipsius Exercitationum Academicarum a Weissmantelio editarum *Erfordiae* 1777. Vol. II. p. 803—844. L'Abbé le Blond, Mémoire sur la vie et les medailles d'Agrippa, Gendre d'Auguste. in: Mémoir. de l'Acad. des Inscript. et belles-lettres T. XL. p. 37—68. *Paris* 1780. Raphaelis Mecenati Icti, de vita rebusque gestis M. Vipsanii Agrippae Commentarius testimoniis scriptorum veterum concinnatus. *Romae* 1821. 4º. vide Giornal. Arcadic. T. XII. p. 415 sqq. P. S. Frandsen, M. Vipsanius Agrippa. Eine historische Untersuchung über dessen Leben und Wirken. *Altona* 1836. H. J. van Eck, Quaestiones Historicae de M. Vipsanio Agrippa. *Lugd. Bat.* 1842. 8º.

Fragmenta.

Lib. II.

(*Philargyr. ad Virg. Georg. II.* 162.) Agrippa in secundo Vitae Suae dicit, excogitasse se ut ex Lucrino lacu portum faceret. Verum huius gloria Augusto cessit.

† (*Plinius L. XXXVI. c.* 24. §. 9.) Agrippa vero in Aedilitate sua, adiecta Virgine aqua, ceteris corrivatis atque emendatis, lacus septingentos fecit: praeterea salientes centum quinque: castella centum triginta, complura etiam cultu magnifica: operibus iis signa trecenta aerea aut marmorea imposuit, columnas ex marmore quadringentas, eaque omnia annuo spatio. Adiicit ipse in Aedilitatis suae commemoratione, et ludos undesexaginta diebus factos, et gratuita praebita balinea centum septuaginta.

§. 10. Tiberius Nero Caesar.

Quali causa Augustum suspicati sumus fuisse incitatum ut de sua ipse vita componeret libros, talem quoque ipsius successori fuisse videmur nobis posse suspicari ex Suetonii loco, ubi Tiberium de Vita Sua commentarium composuisse docet: hoc tamen admisso discrimine, quod Augustus, quae quidem in adolescentia commisisset, Tiberius autem, quam provectioribus annis perpetrasset crudelitatem, manifeste videatur voluisse excusare.

Tiberius enim, qualicunque postea, imperium nactus, flagraverit infamia, vix ut referri audirive, ne dum credi fas sit; prius saltem in adolescentia et modicum se gessit et artes liberales coluit studiosissime. Puer enim postquam rhetoricae praeceptore usus esset Theodoro Gadareo, mox in oratione Latina secutus est Corvinum Messalam: *quem senem adolescens observaverat*, ut scribit Suetonius in Tib. c. 70. ubi addit: *Composuit et carmen lyricum, cuius est titulus: Conquestio de L. Caesaris morte. Fecit et Graeca poëmata, imitatus Euphorionem et Rhianum et Parthenium: quibus poëtis admodum delectatus, scripta eorum et imagines, publicis bibliothecis, inter veteres et praecipuos auctores dedicavit: et ob hoc plerique eruditorum certatim ad eum multa de his ediderunt.* Et quum Rhodi vitam ageret propter literas, *modicis*, ait Suetonius in Tib. c. 11. *contentus aedibus, nec multo laxiore suburbano, genus vitae civile admodum instituit, sine lictore, aut viatore, gymnasia interdum obambulans, mutuaque cum Graeculis officia usurpans, prope ex aequo.* Sed etiam inter initia imperii, quum adhuc favorem hominum moderationis simulatione captaret, tantas prae se tulit virtutes, ut spem facile excitaret rei publicae fore ut sub eo pristinam libertatem recuperaret. Iniens enim imperium a. 766. civilem admodum ac paulo minus quam privatum egit, et ex plurimis maximisque honoribus, praeter paucos et modicos, non recepit. Adulationes autem adeo aversatus est, ut neminem senatorum, aut officii aut negotii causa, ad lecticam suam admiserit. Sed et adversus convicia, malosque rumores et famosa de se ac suis carmina, firmus ac patiens subinde iactabat: *In civitate libera linguam mentemque liberas esse debere.* Quin etiam speciem libertatis quamdam induxit, conservatis senatui ac magistratibus et maiestate pristina et potestate: neque tam parvum quidquam, neque tam magnum, publici privatique negotii fuit, de quo non ad P. C. referret. Et, ut alia omittam, in quibus moderatum se gessit et clementem, praesidibus, onerandas tributo provincias suadentibus, rescripsit: *Boni pastoris esse, tondere pecus, non deglubere.* Paullatim vero principem exseruit, praestititque: etsi varium diu, commodiorem tamen

saepius, et ad utilitates publicas proniorem. Procedente mox tempore, ad rapinas convertit animum: dehinc ad simultatem processit; et mox in omne genus crudelitatis erupit.

De Tiberii igitur moribus qui recte iudicare velit, eum oportet distinguere tempora; quod bene fecit Tacitus, quo nemo rectius, mea quidem sententia, de Tiberio iudicavit: *Morum quoque tempora illi diversa fuere:* inquit Ann. L. VI. c. 51. *egregium vita famaque, quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit: occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere: idem inter bona malaque mixtus, incolumi matre: intestabilis saevitia, sed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit timuitve: postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam, remoto pudore et metu, suo tantum ingenio utebatur.* Scilicet Aelium illum Seianum Tiberius ad summam potentiam non tam benivolentia provexerat, quam ut esset, cuius ministerio ac fraudibus liberos Germanici circumveniret: deinde autem eum — ut plures alios amicos et familiares, quos e numero principum civitatis depoposcerat velut consiliarios in negotiis publicis, alium alia de causa, perculit — *in quinto consulatu criminatus est*, ut scribit Suetonius in Tib. c. 65. id est a. 783. imperii sui XVII. sive sexto ante suam mortem anno.

Hoc igitur sexennio Tiberius scribere debuit Commentarium de Vita Sua, si quidem, quod Suetonius narrat, in eo excusaverit poenam a se in Seianum adhibitam. *Mox*, ita scribit Suetonius in Tib. c. 61. *in omne genus crudelitatis erupit, nunquam deficiente materia: quum primo matris, deinde nepotum, et nurus, postremo Seiani familiares atque etiam notos persequeretur. Post cuius interitum vel saevissimus exstitit. Quo maxime apparuit, non tam ipsum a Seiano concitari solitum, quam Seianum quaerenti occasiones subministrasse. Etsi Commentario, quem de Vita Sua summatim breviterque composuit, ausus est scribere, Seianum se punisse, quod comperisset, furere adversus liberos Germanici, filii sui: quorum ipse alterum, suspecto iam, alterum oppresso demum Seiano, interemit.* Erat igitur Tiberius, quo tempore hunc Commentarium scripsit, natus minimum septuaginta duos annos: nam obiit, secundum Suetonium in Tib. c. 73. *octavo et septuagesimo aetatis anno, tertio et vigesimo imperii, XVII. Kal. Apr. Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigrino coss.* id est, a. 789.

Erat autem Tiberii Commentarius *summatim breviterque compositus.* Quibus verbis Suetonius videtur significare Tiberium res suas leviter et verbo tetigisse, nullis eloquentiae vel stili ornamentis adhibitis: ita ut bella quidem commemoraverit, quibus interfuit, ut sunt Cantabricum, Parthicum, Gallicum, Rhoeticum, Vindelicum, Pannonicum et Germanicum; tum vero enumeraverit honores suos et magistratus, quos gessit, ut Quaesturam, Praeturam, Consulatum et Tribunitiam potestatem in quinquennium acceptam: abstinuerit autem a pleniore singularum a se gestarum rerum descriptione. Nec in libros videtur distinctus fuisse Commentarius; et certe narratarum rerum numero cedere debuit Augusti Commentariis. Sed etiam Tiberio non tam larga suppetebat, quanta Augusto praesto fuerat, scribendi materia. Tiberius enim princeps neque opera ulla magnifica fecit: nam et, quae sola susceperat, Augusti templum, restitutionemque Pompeiani theatri, imperfecta, post tot annos, reliquit: neque spectacula omnino edidit. Publice munificentiam bis omnino exhibuit: militibus autem, post duplicata ex Augusti testamento legata, nihil unquam largitus est, et ne provincias quidem ulla liberalitate sublevavit.

Porro vix dubium est quin Tiberii Commentarius fuerit Latino sermone conscriptus; si secus fuisset, non tacuisset, credo, Suetonius; qui hoc saltem (in Tib. c. 71.) narrat, Tiberium sermone Graeco, quamquam alias promtum et facilem, non tamen usquequaque usum esse, abstinuisseque maxime in senatu: adeo quidem, ut *Monopolium* nominaturus, prius veniam postularit, quod sibi verbo peregrino utendum esset, atque etiam, in quodam decreto patrum, quum ἔμβλημα recitaretur, commutandam censuerit vocem, et, pro peregrina, latinam requirendam, aut, si non reperiretur, vel pluribus, et per ambitum verborum, rem enuntiandam.

Tiberii liber in deliciis quidem fuisse videtur Domitiano. Hic enim teste Sueton. in Domit. c. 20. *nunquam aut historiae carminibusve cognoscendis operam ullam, aut stilo vel necessario dedit: et, praeter commentarios et acta Tiberii Caesaris, nihil lectitabat.* Sed Suetonium huic libro parum fidei habuisse, vel ea verba indicant *ausus est scribere:* quibus sine dubio significare voluit, esse prorsus praeter veritatem quae de Seiani poena narrasset Tiberius. Et dubito fere an Suetonius, Tiberii vitam enarrans, quidquam promere voluerit ex ipsius Tiberii commentario. Hoc quidem certissimum est, Suetonium nusquam de Tiberio quidquam narrare additis illis *ipse scribit, ipse ait*, ut eum in Augusti vita fecisse, supra diximus §. 8. Quae hic enim scribit c. 10. *Quidam existimant, adultis iam Augusti liberis, loco, et*

quasi possessione usurpati a se diu secundi gradus, sponte cessisse, exemplo M. Agrippae, qui, M. Marcello ad munera publica admoto, Mitylenas abierit: ne aut obstare, aut obtrectare, praesens, videretur. Quam causam et ipse, sed postea, reddidit. Tunc autem honorum satietatem, ac requiem laborum praetendens, commeatum petiit. ita sunt accipienda, ut Tiberius nihil aliud secessu devitasse se, quam aemulationis cum Caio Lucioque suspicionem, intelligatur confessus esse tandem transacto tribunitiae potestatis tempore, ut scribit Sueton. in Tib. c. 11.

Cffr. Vossius, de Hist. Lat. L. I. c. 24. Funccius, de Imminenti Lat. Ling. Senectute c. II. §. 2. p. 45. Westermann, §. 83. p. 276. Meyer, §. CXXII. p. 551. Bähr, §. 225. T. II. p. 112. nº. 18. Aug. Weichert, Excursus de Augusti stirpe Poëtices studiosa. in: Imper. Caes. Augusti Script. Reliq. p. 105. Add. Ehrhardt, Comment. de Claudii Tiberii in Literarum stud. meritis. *Coburg* 1753. citatus a Bährio T. I. p. 420. nº. 15.

Fragmenta.

Praeter Suetonium nemo Veterum Tiberii librum memoravit. Fieri autem potest ut Plinius Maior inde quaedam hauserit: hic saltem inter scriptores, e quibus profecit, in Indice libri II reponit etiam Tiberium Caesarem, sed non addito nomine operis. Quod si autem hoc ipsum Tiberii opus intelligendum sit, suspicor eo referendum esse quod Plinius L. II. c. 84. narrat: *Maximus terrae memoria mortalium extitit motus, Tiberii Caesaris principatu, XII urbibus Asiae una nocte prostratis.* Veri enim simillimum est Tiberium de ea re in Commentario suo esse locutum, ut scilicet liberalitatem suam posset laudare. Nam, ut Suetonius in Tib. c. 48. ait: *ne provincias quidem ulla liberalitate sublevavit: excepta Asia, disiectis terrae motu civitatibus.*

§. 11. Tib. Claudius Drusus Caesar.

Claudius, Caligulae successor, teste Suetonio in Claud. c. 41. *composuit et de Vita Sua octo volumina, magis inepte quam ineleganter:* de quibus quum ceteroquin omnis taceat Antiquitas, admodum operae pretium videtur diligentius inquirere, quo modo unicum illud, quod habemus, intelligendum sit testimonium. Id autem mihi quidem non melius explicari posse videtur, quam si memoraverimus, qualis iste vir fuerit, qui *magis inepte quam ineleganter* scripsisse dicitur. Tum enim apparebit, sicut opinor, Claudium in hisce scriptis perfectam sui expressisse imaginem, id est, fuisse ipsum hominem ineptum, carentem omni ingenua liberalique indole, destitutum arte et peritia ad imperandum necessaria, verbo indignum qui Imperatoris munus obtineret: fuisse tamen simul non inelegantem, satis eruditum liberalibus disciplinis, doctum arte scribendi, verbo dignum qui in literis elaboraret.

Per omne scilicet fere pueritiae atque adolescentiae tempus, ut Suetonius narrat in Claud. c. 1 sqq. et Dio Cassius L. LX. c. 2. p. 665. B. variis et tenacibus morbis conflictatus est: laboravitque tremore capitis et manuum, et voce praeterea male affecta; quae ipsi etiam deinceps fuit impedimento, quominus ea, de quibus in Senatu referret, ipse pronuntiaret, debuitque, quamquam praesens ipse, recitanda dare quaestori. A Druso patre infans relictus, diu cum matre et avia versatus est; quarum altera *portentum eum hominis*, dictitabat, *nec absolutum a natura, sed tantum inchoatum:* ac, si quem socordiae argueret, *stultiorem* aiebat *filio suo Claudio.* Avia autem ipsum pro despectissimo semper habuit, non affari, nisi rarissime, non monere, nisi acerbo et brevi scripto aut per internuntios, solita. Et soror Livilla, quum audivisset eum quandoque imperaturum, tam iniquam et tam indignam sortem Romani populi palam et clare detestata est. Igitur inter multum timorem a feminis educatus, et nihil habens in se vere liberum, animo simul et corpore hebetato, ne progressa quidem aetate, ulli publico privatoque muneri habilis existimatus est. Ergo petenti honores, Tiberius patruus consularia ornamenta detulit: et quum mox instantius flagitaret, id solum codicillis rescripsit Tiberius, *Quadraginta aureos in Saturnalia et Sigillaria misisse ei.* Tunc demum, ait Sueton. in Claud. c. 5. abiecta spe dignitatis, ad otium concessit, modo in hortis, et suburbana domo, modo in Campaniae secessu,

delitescens: atque ex contubernio sordidissimorum hominum, super veterem segnitiae notam, ebrietatis quoque et aleae infamiam subiit.

Per haec ac talia, ita pergit Suetonius in Claud. c. 10. maxima aetatis parte transacta, quinquagesimo anno Imperium cepit, quantumvis mirabili casu. Scilicet quum Caligula ad extremum insaniae pervenisset et in palatio suo esset occisus a Cassio Chaerea et Cornelio Sabino, milites quidam interim rapinae causa palatium ingressi, Claudium, qui, propterea quod cum Caio agebat, tumultum metuens se abdiderat, primum protraxerunt, arbitrati alium quemdam esse ac secum aliquid absconditum habere: mox cognitum Imperatorem salutaverunt ac in castra duxerunt. Ibi igitur omnium consensu militum ei, orto nimirum imperatorio genere, ac bono viro, imperium est tributum. Sed Imperator factus, quamquam in omnes Romanos ac subditos eorum videretur imperium tenere, tamen revera erat mancipium; interque eius similes nemo unquam evidentius a famulis et mulieribus se regi passus est: *quibus addictus*, ait Suetonius in Claud. c. 29. *non principem se, sed ministrum egit.* Inerat ei, quam et in adolescentia habuerat, timiditas, qua saepe perculsus, nihil sani consilii capere potuit. Nullaque adeo suspicio, nullus auctor tam levis extitit, a quo non, mediocri scrupulo iniecto, ad cavendum ulciscendumque compelleretur. Quod ipsum adiumento fuit iis, qui Claudium sibi mancipaverant, ut facilius, quae vellent, consequerentur. Hinc itaque in imperio tam multa gessit inepte, ut, si omnia velim enumerare, prius spatium desit quam scribendi materia: ergo satis erit unam alteramque ineptiam memorare. Igitur in Censura, quam gessit intermissam diu, post Paullum Plancumque censores, notabile fuit quod uno die viginti edicta proposuit, ut legimus apud Suetonium in Claud. c. 16. inter quae duo, quorum altero admonebat *ut, uberi vinearum proventu, bene dolia picarentur:* altero, *nihil aeque facere ad viperae morsum, quam taxi arboris succum.* Dicitur etiam, ut Suetonius scribit in Claud. c. 32. meditatus edictum, *quo veniam daret flatum crepitumque ventris in convivio emittendi:* quum periclitatum quemdam, prae pudore, ex continentia, reperisset. Inter cetera autem, ita pergit Suetonius in Claud. c. 39. in eo mirati sunt homines et oblivionem et inconsiderantiam, vel, ut Graece dicam, μετεωρίαν et ἀβλεψίαν. Occisa Messalina, paullo post, quam in triclinio decubuit, *cur domina non veniret*, requisivit. Multos ex iis, quos capite damnaverat, postero statim die, et in convivium, et ad aleae lusum admoveri iussit: et, quasi morarentur, ut somniculosos, per nuntium, increpuit. Ducturus contra fas Agrippinam uxorem, non cessavit omni oratione *filiam, et alumnam, et in gremio suo natam, atque educatam* praedicare. Adsciturus in nomen familiae suae Neronem, quasi parum reprehenderetur, quod, adulto iam filio, privignum adoptaret, identidem divulgavit, *neminem unquam per adoptionem familiae Claudiae insertum.* Sermonis vero rerumque tantam saepe negligentiam ostendit, ut, nec quis, nec inter quos, quove tempore ac loco verba faceret, scire aut cogitare existimaretur.

Et tamen idem ille vir, quantumvis ineptus et nugator, videtur fuisse scriptor non inelegans, et ita in literis elaboravit ut ambiguum posteritati maneat, stultissimusne an doctissimus Imperator nominari mereatur. Scilicet ab aetate prima, ut Suetonius testatur in Claudio c. 3. 41 sq. disciplinis liberalibus non mediocrem operam dedit, ac saepe experimenta cuiusque etiam publicavit. In adolescentia, hortante T. Livio, Sulpicio vero Flavo etiam adiuvante, *Historiam scribere aggressus est.* In principatu quoque et scripsit plurimum et assidue recitavit per lectorem. Initium autem sumsit historiae, post caedem Caesaris Dictatoris. Sed et transiit ad inferiora tempora, coepitque a pace civili: quum sentiret, neque libere neque vere sibi de superioribus tradendi potestatem relictam, correptus saepe et a matre et ab avia. Prioris materiae *duo volumina*, posterioris *unum et quadraginta* reliquit. Composuit et *de Vita Sua octo volumina*, magis inepte quam ineleganter. Item *Ciceronis defensionem adversus Asinii Galli libros*, satis eruditam. *Novas etiam commentus est literas tres*, ac numero veterum, quasi maxime necessarias, addidit. De quarum ratione quum privatus adhuc volumen edidisset, mox princeps non difficulter obtinuit, ut in usu quoque promiscuo essent. Nec minore cura Graeca studia secutus est, amorem praestantiamque linguae, occasione omni, professus. Ac saepe in senatu legatis perpetua oratione respondit. Multum vero pro tribunali etiam Homericis locutus est versibus. Denique et Graecas scripsit historias, Τυῤῥηνικῶν XX. Καρχηδονιακῶν VIII.

Sed praeter Suetonium, luculentum habemus etiam de Claudii doctrina et elegantia testimonium apud Tacitum, qui Ann. L. XIII. c. 3. narrat, ubi Nero successor die funeris laudationem exorsus esset, *liberalium artium commemorationem pronis animis esse auditam;* deinde Im-

peratorum facundiam contendens, ex suo ipse iudicio addit: *Nec in Claudio, quotiens meditata dissereret, elegantiam requireres.*

Quibus perpensis testimonium Suetonii de Claudii Voluminibus *magis inepte quam ineleganter* scriptis, ita videtur intelligendum, ut alterum referatur ad res quas scriptor a se gestas esse narrat, alterum ad scriptionis formam stilique praestantiam.

Cffr. Vossius, de Hist. Lat. L. I. c. 25. Funccius, de Immin. Lat. Ling. Senectute c. II. §. 5. p. 49. Westermann, §. 83. p. 277. Meyer, §. CXXX. p. 574. Bähr, §. 247. T. II. p. 170. Weichert, Excursus de Augusti stirpe Poëtices studiosa. in: Imper. Caes. Augusti Script. Reliq. p. 106 sq.

Fragmenta.

Quae quidem addito nomine libri memorentur, nulla omnino supersunt. Fortasse tamen huc referendum est, quod legitur apud

† (*Sueton. in Claud. c.* 2.) Diu, atque etiam post tutelam receptam, alieni arbitrii, et sub paedagogo fuit, quem Barbarum et olim superiumentarium, ex industria sibi appositum, ut se, quibuscunque de causis, quam saevissime coërceret, ipse quodam libello conqueritur.

§. 12. Agrippina, mater Neronis.

Quae hucusque diximus, pertinebant ad viros, qui suam ipsi vitam scripto narraverunt; sed ab hoc etiam scribendi genere ne mulieres quidem abstinuisse, exemplum praebet Agrippina, Agrippinae filia, de qua nunc dicendum erit. Haec aútem, quam nescio quis non immerito dixit optimi parentis pessimam filiam, non minus recte quoque dici possit foedissimi filii foedissima parens. Nata enim ex Germanico et Agrippina — qua re et Agrippae neptis et Augusti proneptis, *ἡ τοῦ Ἀγρίππου ἔγγονος, ἡ τοῦ Αὐγούστου ἀπόγονος*, dicitur a Dione Cassio L. LXI. c. 14. p. 696. A. — quum *puellaribus annis*, ut Tacitus scribit Annal. L. XIV. c. 2. *stuprum cum M. Aemilio Lepido, spe dominationis, admiserat*, maritum poposcit a Tiberio. Tiberius, teste eodem L. IV. c. 75. *neptem Agrippinam, Germanico ortam, quum coram Cn. Domitio tradidisset, in urbe celebrari nuptias iussit. In Domitio, super vetustatem generis, propinquum Caesaribus sanguinem delegerat; nam is aviam Octaviam, et per eam Augustum avunculum praeferebat.* Erat autem iste Domitius arrogans, profusus, immitis: qui munus aliquando gladiatorium dedit tanta saevitia, ut necesse fuerit Augusto, clam frustra monitum edicto prohibere; homicida scelestissimus, maiestatis quoque et adulteriorum, incestique cum sorore Lepida, sub excessu Tiberii reus, mutatione temporum evasit; decessitque Pyrgis, morbo aquae intercutis. Vid. Sueton. in Ner. c. 4 sq. Ex Domitio igitur peperit Neronem; cuius nequitiam et petulantiam ipse pater, non ex vaticinio, sed ex suis et Agrippinae moribus praedixit, his usus verbis secundum Dionem L. LXI. c. 2. p. 690. C. *ὅτι Ἀδύνατόν ἐστιν ἄνδρα τινὰ ἀγαθὸν ἔκ τε ἐμοῦ καὶ ἐκ ταύτης γεννηθῆναι.*

Mox vero, quum Nero trium annorum puer esset, Agrippina *viduata morte Domitii*, sunt verba Suetonii in Galba c. 5. *Galbam maritum adhuc, nedum caelibem, adeo omnibus sollicitavit modis, ut in conventu matronarum correpta iurgio, atque etiam manu pulsata sit a matre Lepidae.* Postquam igitur frustra Galbam ad nuptias tentasset, ob eamque rem, ut videtur, fuisset relegata, mox secundum matrimonium iniit cum Crispo Passieno, qui a Plinio L. XVI. c. 91. (44.) dicitur *bis consul, orator: Agrippinae matrimonio et Nerone privigno clarior postea.* Sed, si fides habenda est Scholiastae Iuvenalis ad Sat. IV. 81. ad q. l. conferendus est Lipsii Excursus ad Tacit. Ann. L. XII. c. 6. Passienus *periit per fraudem Agrippinae, quam heredem reliquerat.* Possedit autem, ut in eodem scholio narratur, bis mille sestertia.

Denique Claudio Imperatori, patruo suo, nupsit Agrippina; hic enim fuerat, ut Suetonius scribit in Claud. c. 26. *illecebris Agrippinae, Germanici fratris sui filiae, per ius osculi et blanditiarum occasiones pellectus in amorem.* Tum igitur, ut apud Tacitum legimus Ann. L. XII. c. 26 sq. Agrippina et aucta est cognomento Augustae, et quo vim suam sociis et nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci

impetravit; cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. Claudius autem, quum Agrippinae actionibus mox infensus esset, filiumque suum Britannicum (quem ipsa, Neroni suo imperium parans, consulto plerumque adspectui subducebat) imperii successorem cogitaret relinquere, *praeventus est ab Agrippina*, ut narrat Suetonius in Claud. c. 44. *quam, praeter haec, conscientia quoque, nec minus delatores multorum criminum arguebant. Et veneno quidem occisum, convenit: ubi autem, et per quem dato, discrepat. Quidam tradunt, epulanti in arce cum sacerdotibus, per Halotum, spadonem, praegustatorem: alii, domestico convivio, per ipsam Agrippinam, quae boletum medicatum avidissimo ciborum talium obtulerat.* Itaque Agrippina, tabulis testamenti Claudii de medio sublatis, imperium curavit deferri in Neronem, praeterito Britannico, quem optimo iure succedere oportebat, quia filius erat naturalis et legitimus, valebatque viribus corporis et flore aetatis vigebat. Cuius tamen rei futurum erat, ut Agrippinam maxime poeniteret.

Nam principio quidem Nero, qui septemdecim annos natus erat, teste Suetonio in Ner. c. 9. *summam omnium rerum publicarum privatarumque permisit matri;* eaque, ut Dio addit L. LXI. c. 3. p. 690. E. respondebat legatis, literasque ad populos et principes et reges mittebat. Sed quum hoc satis diu factum esset, ita pergit Dio, ferre graviter coeperunt Seneca et Burrus Afranius, homines sapientissimi et apud Neronem maximae auctoritatis: quorum alter praetorianis militibus praeerat, alter doctor eius erat. Itaque commodam occasionem nacti, huic rei finem imposuerunt. Ergo Agrippina graviter ferens quod non amplius in eos, qui in palatio erant, imperium teneret, primo admonere Neronem coepit, eosque, qui cum ipso versabantur, partim verberibus castigat, partim procul amovet. Post ubi se nihil proficere cognovit, multo gravius tulit, aitque Ego imperatorem te feci: tamquam posset ei principatum arbitratu suo adimere, nesciens, ut scribit Dio L. LXI. c. 7. p. 692. E. summum imperium, postquam est a privato delatum alicui, statim deficere eum, qui detulit, et ad eum transferri qui accepit, contra eum, qui detulit. Denique palam insanire coepit Nero: matremque suam et honore omni et potestate privavit; abductaque militum et Germanorum statione, contubernio quoque ac palatio expulit.

Tandem vero Agrippinae minis ac violentia territus, Nero statuit perdere matrem. Et consultanti quidem veneno faceret an ferro, vel qua alia vi, ingenium obtulit Anicetus libertus, classi apud Misenum praefectus et pueritiae Neronis educator, ac mutuis odiis Agrippinae invisus. Is ergo docet, ut scribit Tacitus Ann. L. XIV. c. 3. *navem posse componi, cuius pars ipse in mari per artem soluta, effunderet ignaram.* Placuit sollertia Neroni; qui negotium interficiendi matrem tradidit Aniceto. Sed has futuras tragoedias in se perferre non potuit mare, ut scribit Dio L. LXI. c. 13. p. 695. D. Licet enim dissoluto navigio Agrippina in mare ceciderit, non tamen mortua est. Ergo ut Nero comperit matrem nando evasisse, Anicetum una cum nautis adversus matrem ire iubet. Quos ut vidit Agrippina, cognovitque quamobrem venissent, repente de lecto desiluit, discissaque veste denudataque alvo ait *Παῖε ταύτην, Ἀνίκητε, παῖε, ὅτι Νέρωνα ἔτεκεν.* Et ita quidem Agrippina a filio suo, cui regnum detulerat et cuius causa, praeter multos alios, patruum quoque necaverat, interfecta est.

Varias ergo quam maxime, in variis vitae suae spatiis fortunae vicissitudines experta est Agrippina: nam, quae modo felix fuerat et beata, mox contempta fuit et relegata; et quae deinceps restituta fuerat et dives facta et ad Augustae honorem evecta et visa sibi felicissima matrum, mox ab ipso filio suo turpiter despecta, contubernio expulsa et tandem foedissime fuit trucidata. Haec mulier igitur, quae tam largam habebat vitae suae enarrandae materiam, quin de vita sua commentarios conscripserit, nequaquam dubium esse potest. Ipse enim utique Tacitus Agrippinae Commentarios legit, decerpsitque inde aliquid, quod a scriptoribus annalium non fuerat traditum. Ita scilicet scribit Tacitus Ann. L. IV. c. 53. *At Agrippina, pervicax irae, et morbo corporis implicata, quum viseret eam Caesar, profusis diu ac per silentium lacrimis, mox invidiam et preces orditur: subveniret solitudini, daret maritum: habilem adhuc iuventam sibi, neque aliud probis, quam ex matrimonio, solatium: esse in civitate...... Germanici coniugem ac liberos eius recipere dignarentur. Sed Caesar, non ignarus, quantum ex re publica peteretur; ne tamen offensionis aut metus manifestus foret, sine responso, quamquam instantem, reliquit. Id ego, a scriptoribus annalium non traditum, reperi in commentariis Agrippinae, filiae: quae, Neronis principis mater, vitam suam et casus suorum posteris memoravit.* Tum quoque Plinius, qui, in Indice scriptorum L. VII. nominans *Agrippinam Claudii*, intelligere videtur *Agrippinam Claudii*

uxorem, in ipso L. VII. c. 6. (7.) commemorans aliquid ex Agrippinae scripto, nullum alium librum, nisi hosce Commentarios videtur potuisse significare. Hic igitur: *In pedes*, inquit, *procedere nascentem, contra naturam est: quo argumento eos appellavere Agrippas, ut aegre partos: qualiter M. Agrippam ferunt genitum, unico prope felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum genitis - - - Neronem quoque paulo ante principem, et toto principatu suo hostem generis humani, pedibus genitum parens eius scribit Agrippina.*

Ex hoc Plinii loco, quamquam aliunde nequaquam novimus quo spatio aetatis suae Agrippina commentarios hosce conscripserit, nec magis quousque ipsa progressa sit in enarranda vita sua, videmur nobis aliquid de ea re posse suspicari. Quum enim Plinius scribat, esse contra naturam si homines nascantur procedentes in pedes, dicatque Agrippinam scripsisse, Neronem fuisse genitum pedibus, videri possit Agrippina dixisse aliquid quo ostenderet animum Neronis, utpote contra naturam nati, esse inhumanum, nec mirum esse si Nero esset homo infelix. Hoc autem non dictura fuerit, credo, quamdiu cum Nerone in amicitia vixit. Inde igitur suspicor Agrippinam eo tempore hosce commentarios conscripsisse, quo odium inter matrem et filium iam esset exortum: fortasse paulo post quam a Nerone pulsa esset palatio.

Aliquanto certius suspicari possumus de argumento horum Commentariorum. Quum enim Tacitus scribat Agrippinam non modo vitam suam, sed etiam *casus suorum* posteris memorasse, fere non dubium esse potest quin Agrippina, praeter res suas suorumque maritorum et Neronis facinora, memoraverit quoque de maiorum suorum fatis et factis. Quapropter equidem facile crediderim Agrippinam et de Augusto locutam esse, quem habuerat proavum, et de matris suae parente, Agrippa, huiusque filio Postumo, quem nullius flagitii compertum, ab Augusto in insulam Planasiam proiectum esse narrat Tacit. Ann. L. I. c. 3. Ante omnes alios vero memoraverit fortunam parentis sui Germanici, cui *omnes corporis animique virtutes, et quantas nemini cuiquam, contigisse, satis constat*, ut scribit Suetonius in Calig. c. 1. 2. 3. *formam, et fortitudinem egregiam: ingenium, in utroque eloquentiae doctrinaeque genere praecellens: benivolentiam singularem: conciliandaeque hominum gratiae, ac promerendi amoris mirum et efficax studium. Qui a Tiberio, patruo, adoptatus, Quaesturam quinquennio ante, quam per leges liceret, et, post eam, Consulatum statim gessit. Missusque ad exercitum, in Germaniam, excessu Augusti nuntiato, legiones universas, imperatorem Tiberium pertinacissime recusantes, et sibi summam rei publicae deferentes, incertum, constantia, an pietate, maiore, compescuit: atque, hoste mox devicto, triumphavit. Consul deinde iterum creatus, ac prius, quam honorem iniret, ad componendum Orientis statum expulsus, quum Armeniae regem devicisset, Cappadociam in provinciae formam redegisset, annum aetatis agens quartum et trigesimum, diutino morbo Antiochiae obiit, non sine veneni suspicione. Obiit autem, ut opinio fuit, fraude Tiberii, ministerio et opera Cn. Pisonis.* Tum quoque sine dubio locuta fuisse censenda est de matre sua, Agrippina, Agrippae filia, quae *femina ingens animi* dicitur a Tacito Ann. L. I. c. 69. et, maritum in Germaniam secuta, *munia ducis induit, militibusque, ut quis inops aut saucius, vestem ac fomenta dilargita est.* In Italiam reducem postea Agrippinam Tiberius duxit uxorem: qui tamen ipsam, *sublato ex ea filio Druso*, ut scribit Sueton. in Tib. c. 7. *quamquam bene convenientem, rursumque gravidam, dimittere, ac Iuliam, Augusti filiam, confestim coactus est ducere.* Tandem quoque Tiberii odium per Seiani fraudem eo processit ut ipsam relegaverit in insulam Pandatariam, conviciantique oculum per centurionem verberibus excusserit. In exsilio igitur Agrippina provixit, spe sustentata, quam auxit Seiani supplicium: quo interfecto, *postquam nihil de saevitia Tiberii remittebatur, voluntate exstincta est: nisi si, negatis alimentis, adsimulatus est finis, qui videretur sponte sumptus*, ut opinatur Tacitus Ann. L. VI. c. 25.

Cff. Vossius, de Hist. Lat. L. I. c. 25. Bähr, §. 247. T. II. p. 170. n°. 3.

Fragmenta

(*Non supersunt, praeter Taciti et Plinii ll. cc.*)

§. 13. Aelius Hadrianus.

Aelius Hadrianus, vir ingenio varius ac multiplex, ad vitia perinde atque virtutes factus, eloquio togaeque studiis quam belli artibus accommodatior, quum alia dedit doctrinae suae specimina, tum vero de sua ipse vita scripsit libros; sed eo, ut videtur, non alia causa incitatus, quam sola gloriae cupiditate, qua certe nemini Caesarum cessit. In quibus libris tam abunde videtur laudes suas praedicasse ut puduerit ipsum eos suo nomine publicari. Testis et Aelius Spartianus in vita Hadriani c. 16. haec scribens: *Famae celebris Hadrianus tam cupidus fuit, ut libros Vitae Suae scriptos a se, libertis suis literatis dederit, iubens ut eos suis nominibus publicarent: nam Phlegontis libri Hadriani esse dicuntur.*

Phlegon ille Trallianus, cuius nomine Hadriani libri publicati sunt, fuit libertus Hadriani; idem a quo scripta esse dicitur Ὀλυμπιονικῶν καὶ Χρονικῶν συναγωγή: tum quoque aliud opus περὶ Θαυμασίων, et tertium quoddam περὶ Μακροβίων: ex quibus singulis operibus, quae supersunt, Fragmenta collegit notisque illustravit Io. Meursius, Lugd. Bat. 1620. 4°. et post eum I. G. F. Franzius, Halae 1775. 8°. Cfr. Vossius de Hist. Graec. L. II. c. 11. et S. T. Schoell, Gesch. der griech. Litteratur (aus dem Franz. übersetzt. *Berlin* 1830.) T. II. p. 446 sqq.

Phlegontis autem libri quum Graeco sermone sint conscripti, non sine causa suspicari possimus, Hadriani item libros Graece fuisse compositos. Neque hoc difficile erit intellectu; teste enim Ael. Spart. c. 1. Hadrianus olim fuit *imbutus impensius Graecis studiis, ingenio eius sic ad ea declinante ut a nonnullis Graeculus diceretur:* et postea demum, quum in Quaestura, *orationem Imperatoris in Senatu agrestius pronuntians, risus esset, usque ad summam peritiam et facundiam Latinis operam dedit*, ut idem testatur Ael. Spart. c. 3. Eratque igitur, ut Dio Cassius scribit L. LXIX. c. 3. p. 788. E. φύσει φιλολόγος ἐν ἑκατέρᾳ τῇ γλώσσῃ. καί τινα καὶ πεζὰ καὶ ἐν ἔπεσι ποιήματα παντοδαπὰ καταλέλοιπε.

Illa vero, quam dixi, gloriae cupiditas immensa, dum omnibus in rebus unus excellere volebat, effecit ut saepe et aliis et sibi esset molestus. Nam, *quamvis esset*, sunt verba Aelii Spart. c. 15. *oratione et versu promptissimus, et in omnibus artibus peritissimus, tamen professores omnium artium semper ut doctior risit, contempsit, obtrivit. Cum his ipsis professoribus et philosophis, libris vel carminibus invicem editis, saepe certavit.* Et, ut idem scribit c. 20. *apud Alexandriam in Museo, multas quaestiones professoribus proposuit, et propositas ipse dissolvit.*

In Ipso Imperio, pacis magis quam belli cupidus, fere nullam gentem bello vexavit, exceptis Iudaeis, quorum urbem et templum evertit; vid. Dio Cass. L. LXIX. c. 12. p. 793. B. sed, ante quam ad Imperium pervenerat, pluribus interfuit expeditionibus Domitiani et praecipue Traiani.

Secundum Aelium Spartianum, qui huius Imperatoris vitam conscripsit et in ea scribenda sine dubio etiam usus est ipsius Hadriani Commentariis, Phlegontis nomine publicatis, Hadrianus quintodecimo anno militiam iniit: nec multo post decemvir litibus iudicandis datus; atque inde tribunus secundae Adiutricis legionis creatus. Post haec in inferiorem Moesiam translatus, extremis iam Domitiani temporibus (c. 2.). Quaesturam gessit Traiano quater et Articuleio coss. id est, a U. 854. Post Quaesturam, acta Senatus curavit; atque ad bellum Dacicum Traianum familiarius prosecutus est (c. 3.): qua expeditione Decebalus, ad pacem petendam adactus, agrorum parte multatus est et Traianus triumphum Romae egit, Dacicus a Senatu vocatus. Tribunus plebis factus est Candido et Quadrato iterum coss. id est, a. U. 858. Mox Traianus secunda expeditione Dacica eum primae legioni Minerviae praeposuit, secumque duxit. Tum Hadriani quidem multa egregia facta claruerunt: quare adamante gemma, quam Traianus a Nerone acceperat, donatus, ad spem successionis erectus est (c. 3). Traianus scilicet, quo facilius Dacos aggrederetur, lapideum pontem in Istro flumine faciendum curaverat: qua transiecto exercitu undique Dacos pressit, usus in primis opera Lusii Quieti et vero Hadriani. Decebalus igitur ad desperationem adactus mortem sibi ipse conscivit et Dacia in provinciae formam redacta est. Deinde Hadrianus Praetor factus est Surano bis Serviano iterum coss. id. est, a. 860. Legatus postea praetorius in Pannoniam inferiorem missus, Sarmatas compressit, disciplinam militarem tenuit, procuratores latius evagantes coërcuit; et ob hoc Consul factus est a. 862. (c. 3.) Anno 867. Traianum secutus est in Orientem. Hic scilicet gloriae ac bellandi cupiditate ductus, ut imperii fines propagaret, profectus est adversus Parthos. Ergo Armeniam, pulso rege Parthamasire, in provinciae formam redegit: Mesopotamiam, Assyriam et Seleuciam vicit et Ctesiphontem usque, regiam Parthorum urbem, progressus, Parthis

regem dedit Parthamaspen, sed gentem inquietam ad certum imperium transducere non potuit. Itaque quum in oppugnatione Hatrae urbis in morbum incidisset Traianus, Hadrianum Syriae et exercitui praefecit: ipse Romam redire properans Selinunte in Cilicia decessit. Quo defuncto, Hadrianus imperium capessivit Antiochiae a. 870. incertum utrum ab aegrotante Principe adoptatus, an, eo mortuo, fictis a Plotina literis adoptionis ad successionem vocatus. *Nec desunt*, inquit Ael. Spart. c. 4. *qui factione Plotinae, mortuo iam Traiano, Hadrianum in adoptionem adscitum esse prodiderint; supposito, qui pro Traiano fessa voce loqueretur.*

Adeptus imperium, ita pergit Ael. Spart. c. 5. *ad priscum se statim morem instituit, et tenendae per orbem terrarum paci operam intendit. Quare omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit; exemplo, ut dicebat, Catonis, qui Macedonas liberos pronuntiavit, quia teneri non poterant.* Ergo Romam reversus Consulatum alterum iniit a. 871. Audito dein tumultu Sarmatarum et Roxolanorum, praemissis exercitibus, Moesiam petiit; et cum rege Roxolanorum, qui de imminutis stipendiis querebatur, cognito negotio pacem composuit (c. 6.). Sed coniuratione Nigrini commotus, Martium Turbonem Pannoniae Daciaeque ad tempus praefecit; ipse, praeter Nigrinum etiam Cornelium Palmam, Publilium Celsum, Lusium Quietum, consulares omnes, interficiendos curavit, veteres suos apud Traianum detrectatores. Unde statim Hadrianus ad refellendam tristissimam de se opinionem, quod occidi passus esset uno tempore quatuor consulares, Romam venit et in Senatu quoque excusatis quae facta erant, iuravit se nunquam senatorem nisi ex senatus sententia puniturum (c. 7.).

Anno 873. Hadrianus iter illud nobilissimum instituit, quo, militari more, omnes Imperii provincias peragravit: frigora et tempestates ita patienter ferens, ut nec unquam aut propter nives Celticas, ut Dio scribit L. LXIX. c. 9. p. 792. A. aut propter calores Aegyptios caput habuerit opertum: militem tolerantiae documentis imbuens, ipse quoque inter manipulares vitam militarem magistrans, cibis etiam castrensibus in propatulo libenter utens, exemplo virtutis suae ceteros adhortatus, quum etiam vicena milia pedibus armatus ambularet (c. 10.). Erat enim, ut Ael. Spart. c. 17. ait, *peregrinationis ita cupidus, ut omnia quae legerat de locis orbis terrarum, praesens vellet addiscere.* Faciensque hoc iter, quo nominis sui famam celebraret, *in omnibus pene urbibus aut aliquid aedificavit, aut ludos edidit.* Vid. Ael. Spart. c. 19. et in primis Pausanias, cuius Ἑλλάδος περιήγησις referta est aedificiis Hadriani. Et primum quidem profectus est in Gallias: inde in Germaniam transiit. Proximo anno 874. Britanniam petiit: in qua multa correxit, murumque per octoginta milia passuum primus duxit, qui Barbaros Romanosque divideret (c. 11.). Compositis in Britannia rebus, transgressus in Galliam, et apud Nemausum in honorem Plotinae basilicam opere mirabili exstruxit. Post haec Hispanias petiit, et Tarracone hiemavit: ubi sumtu suo aedem Augusti restituit (c. 12.). Per ea tempora et alias frequenter in plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus sed limitibus dividebantur, stipitibus magnis, in modum muralis sepis, funditus iactis atque connexis, Barbaros separavit (c. 12.). Post hoc per Asiam et insulas ad Achaiam navigavit a. 875. et Eleusinia sacra, exemplo Herculis Philippique, suscepit. Post in Siciliam navigavit. Inde Romam venit a. 879. atque ex ea in Africam transiit a. 882. ac multum beneficiorum provinciis Africanis attribuit. (c. 13.). Denique quum post Africam Romam redisset, statim ad Orientem profectus a. 883. per Athenas iter fecit, atque opera, quae apud Athenienses coeperat, dedicavit: ut Iovis Olympii aedem et aram sibi: eodemque modo per Asiam iter faciens, templa sui nominis consecravit (c. 13.). Peragrataque Arabia Pelusium venit; ubi Pompeii tumulum magnificentius exstruxit (c. 14.). Romae instauravit Pantheum, Septa, basilicam Neptuni, sacras aedes plurimas, forum Augusti, lavacrum Agrippae: quamquam ea quidem omnia propriis et veteribus nominibus consecravit; sed pontem fecit sui nominis, et sepulcrum iuxta Tiberim (c. 19.). Multas civitates Adrianopolis appellavit, ut ipsam Carthaginem, et Athenarum partem. Aquarum etiam ductus infinitos hoc nomine nuncupavit: et oppidum Adrianotheras in quodam loco, quod illic et feliciter esset venatus et ursas occidisset aliquando, constituit (c. 20).

Sed longum est singula persequi, quae Hadrianus, gloriae honorisque cupidissimus, ad nominis sui famam celebrandam, quum Romae tum vero in itineribus fecit: de quibus si scripserit in libris de Vita Sua, quod non abs re videtur suspicari, magnam profecto in eorum interitu iacturam fecerunt Literae; praecipue tamen Historiae, Antiquitatis et Geographiae scientia.

Cffr. Vossius, de Hist. Graec. L. II. c. XI. Funccius, de Vegeta L. L. Senectute c. II. §. 2. p. 43. Westermann, §. 83. p. 277. Meyer, §. CXLIV. p. 607. Bernhardy, Grundriss der griechischen Litteratur T. I. p. 412. Io. Conr. Feuerlein, Dissertatio Epistolica de Hadriani Imperatoris Eruditione. *Altorfii* 1743. 4°.

Fragmenta.

† (*Ael. Spartianus in v. Hadriani c.* 1.) Origo Imperatoris Hadriani vetustior a Picentibus, posterior ab Hispaniensibus manat: si quidem Hadria ortos maiores suos, apud Italicam, Scipionum temporibus, resedisse, in libris Vitae Suae Hadrianus ipse commemorat.

† (*Ael. Spart. ibid. c.* 3.) Post Quaesturam, acta Senatus curavit; atque ad bellum Dacicum Traianum familiarius prosecutus est: quando quidem et indulsisse vino se dicit, Traiani moribus obsequentem: atque ob hoc se a Traiano locupletissime muneratum.

† (*Ael. Spart. ibid. c.* 3.) Tribunus plebis factus est Candido et Quadrato iterum consulibus: in quo magistratu ad perpetuam tribunitiam potestatem omen sibi factum asserit, quod paenulas amiserit, quibus uti tribuni plebis pluviae tempore solebant, Imperatores autem nunquam.

† (*Ael. Spart. ibid. c.* 7) Nigrini insidias, quas ille sacrificanti Hadriano, conscio sibi Lusio et multis aliis, paraverat, quum eum etiam successorem sibimet Hadrianus destinasset, evasit. Quare Palma Terracinae, Celsus Baiis, Nigrinus Faventiae, Lusius in itinere, Senatu iubente, invito Hadriano, ut ipse in Vita Sua dicit, occisi sunt.

† (*Dio Cassius L.* LXIX. *c.* 11. *p.* 792. *E.*) *Ἐν δὲ τῇ Αἰγύπτῳ καὶ τὴν Ἀντινόου ὠνομασμένην ἀνῳκοδόμησε πόλιν. ὁ γὰρ Ἀντίνοος ἦν μὲν ἐκ Βιθυνίου, πόλεως Βιθυνίδος, ἣν καὶ Κλαυδιούπολιν καλοῦμεν· παιδικά τε αὐτοῦ ἐγεγόνει, καὶ ἐν τῇ Αἰγύπτῳ ἐτελεύτησεν· εἴτ' οὖν εἰς τὸν Νεῖλον ἐκπεσὼν, ὡς Ἀδριανὸς γράφει, εἴτε καὶ ἱερουργηθεὶς, ὡς ἡ ἀλήθεια ἔχει.*

§. 14. L. Septimius Severus.

Pervenimus ad ultimum eorum, qui expressis Veterum testimoniis dicuntur de sua ipsi vita scripsisse, id est, Severum Imperatorem. De cuius Commentariis haec scribit Aelius Spartianus in vita Severi c. 18. *Philosophiae ac dicendi studiis satis deditus; doctrinae quoque nimis cupidus; latronum ubique hostis; vitam suam privatam publicamque ipse composuit, ad fidem; solum tamen vitium crudelitatis excusans.* Unde fluxerunt ea quae legimus apud Aurel. Victor. de Caesar. c. XX. 22. *Philosophiae, declamandi, cunctis postremo liberalium deditus studiis; idemque abs se gesta ornatu et fide paribus composuit.*

Ex his Severi libris Aelius Spartianus in conscribenda Severi vita sine dubio multa hausit, quamquam raro ipsorum facit mentionem: nam re ipsa, nec nomine tantum, eos libros illi fuisse cognitos, inde apparet, quod docet quid in iis libris non sit narratum. *Uxorem tunc Martiam duxit*, ita scribit Ael. Spart. in Sev. c. 3. *de qua tacuit in historia vitae privatae.*

Sed multum abest ut Aelius Spartianus iis plenissimam fidem habuerit, in primis in iis quae Severus de hostibus suis narraverit. Quod ipsum fatetur in vita Pescennii Nigri c. 5. scribens: *Si Severo credimus, fuit gloriae cupidus Niger;* quibus verbis satis manifeste Severi scriptis negari videtur fides. Nec secus alii iudicaverunt scriptores; nam Iulius Capitolinus in v. Clodii Albini c. 10. scribit: *Et Severus quidem ipse haec de eodem loquitur - - - Sed haec belli tempore vel post bellum, quando ei iam velut de hoste credi non potest.* Quin etiam Dio Cassius, qui Severi fuit aequalis, ubi cruentam narrat de Albino victoriam L. LXXV. c. 7. p. 853. A. addit: *Λέγω γὰρ οὐχ ὅσα ὁ Σεβῆρος ἔγραψεν, ἀλλ' ὅσα ἀληθῶς ἐγένετο.*

Ex Aelii autem Spartiani testimonio Severus scripsit *vitam suam privatam publicamque;* quae verba ex mente eius scriptoris ita videntur accipienda, ut ad *privatam vitam* pertinuerint omnia ea quae a Severo gesta sunt ante quam perveniret ad Imperium: *publica* autem *vita* intelligenda sit vita Imperatoria. Ea enim significatione Ael. Spart. in Sev. c. 5. scripsit: *Et hactenus rem militarem privatus egit.*

Quae ad Severi vitam privatam pertinent, Aelius Spartianus quatuor prioribus capitibus narrat. Secundum hunc igitur Severus, natione Afer, ortus Lepti in Tripolitana provincia, patrem habuit Getam; cuius maiores fuerant equites Romani, ante quam civitas ab Antonino Pio data esset omnibus: *natus Sext. Erucio Claro bis et Cn. Claudio Severo coss.* id est, a. 899. In prima pueritia Latinis Graecisque literis imbutus, fuit eruditissimus et octavodecimo anno

publice declamavit (*). Postea studiorum causa Romam venit, latum clavum a divo Marco petiit, et accepit, favente sibi Septimio Severo, affine suo, bis iam consulari: et tum iam habuit plurima omina imperii (c. 1.).

Primus honorum gradus fuit Quaestura, quam egit diligenter. Post quaesturam sorte Beticam accepit: atque inde Africam petiit, ut mortuo patre rem domesticam componeret. Sed dum in Africa est, pro Betica Sardinia ei attributa est, quod Beticam Mauri populabantur. Acta igitur quaestura Sardiniensi, legationem proconsulis Africae accepit (c. 2.). Tribunatum plebis, Marco imperatore decernente, promeruit, eumque severissime egit. Praetor designatus a Marco est, anno aetatis XXXII. Tunc ad Hispaniam missus est. Deinde legioni IV. Scythicae praepositus est, circa Massiliam, vel, ut alii volunt, circa Syriam. (c. 3.). Postea Lugdunensem provinciam legatus accepit; et a Gallis ob severitatem et abstinentiam, tantum quantum nemo dilectus est. Deinde Pannonias proconsulari imperio rexit. Post hoc Siciliam proconsularem sorte meruit. Consulatum cum Apuleio Rufino primum egit, a. 938. — ex aliorum computatione fuit a. 942. — quo XXV Consules fuere, facti a Cleandro; quod neque ante id tempus, neque post unquam factum est. Vid. Dio Cassius L. LXXII. c. 12. p. 822. E. et Lampridius in v. Commodi c. 6. Post consulatum anno ferme fuit Romae otiosus: deinde, Laeto suffragante, exercitui Germanico ad Danubium praeponitur. In Germaniam profectus a. 944. ita se in ea legatione egit ut famam nobilitatam iam ante cumularet. (c. 4.) *Et hactenus rem militarem privatus egit* (c. 5.).

Dehinc a Germanicis legionibus ubi auditum est Commodum occisum, Iulianum autem cum odio cunctorum imperare, multis hortantibus repugnans imperator est appellatus apud Carnutum Idibus Augustis a. 946. (c. 5.): quum eum ex humili per literarum et militiae officia ad imperium plurimis gradibus fortuna duxisset; quapropter saepius dicere solebat: *Omnia fui, et nihil expedit* (c. 18.).

Postquam igitur ad totius rei publicae administrationem pervenerat Severus, et Pertinacem se appellari voluerat, magnas et praeclaras, praesertim in bello, res gessit Imperator: quae, utpote referendae ad publicam ipsius vitam, narratae fuerint in altera parte commentariorum.

Et primis quidem Imperii annis Severo conflictandum fuit cum iis, qui, post Commodi necem, aeque Imperium erant aggressi. Proximus quidem Commodi successor, Pertinax, qui vix tres menses imperavit, a praetorianis fuerat occisus, inscio, ut videtur, et absente Severo. Sed qui huic successit, imperium a militibus mercatus, Didius Iulianus, suffragante certe Severo, post duos menses ab omnibus derelictus, in palatio fuit occisus. Vid. Ael. Spart. in Severo c. 5. et in Didio Iuliano c. 8. At praeter hunc duo alii fuere, quos non aeque facile fuit de medio tollere; quem tamen utrumque, Pescennium Nigrum apud Cyzicenos, Clodium Albinum Lugduni victos coëgit mori: quorum prior, Aegyptum dux obtinens, bellum moverat spe dominationis: alter, Pertinacis auctor occidendi, in Gallia invaserat Imperium. Historiam horum bellorum civilium narrat Aelius Spartian. in Severo c. 8—11. et in Pescennio Nigro c. 3—5. Iul. Capitolinus in Albino c. 7—12. in primis vero Dio Cassius L. LXXIV. c. 6 sqq. Add. Aur. Victor. de Caesar. c. 20 et in Epitome c. 20.

Praeterea circa Arabiam plura gessit; et Parthis in ditionem redactis et Adiabenis, a. 954. eas regiones in provinciae formam redegit, quae cum Pescennio senserant. Atque ob hoc reversus, triumpho delato, ARABICUS, ADIABENICUS, PARTHICUS appellatus est. Vid Ael. Spart. in Severo c. 9. Dio Cassius L. LXXV. c. 9. p. 853. E. sqq.

Maximum autem, ut Aelius Spartianus c. 18. scribit, Severi imperii decus est, quod in Britannia perpetravit; in quam profectus est a. 961. Hanc igitur insulam, quae Caledoniorum incursionibus obnoxia erat, muro transverso per XXXII passuum milia ducto, utrimque ad finem Oceani munivit: unde etiam BRITANNICI nomen accepit. Vid. Dio Cassius L. LXXVI. c. 11. p. 866. Aur. Victor de Caes. c. 20. Eutropius L. VIII. c. 19. Orosius L. VII. c. 17. Sed subactis gentibus, quae Britanniae videbantur infestae, anno imperii decimo octavo, ut Ael. Spart. c. 19. scribit, Eboraci in Britannia, morbo gravissimo exstinctus est iam senex, id est, expleto nondum LXVI aetatis anno.

Fuit sine dubio Severus felix ac prudens armis praecipue, qui nullo congressu nisi victor

---

(*) Subit mihi cogitatio an legendum sit *punice declamavit.* Auctor Epitomes de Caesaribus c. XX. 7. *Latinis literis sufficienter instructus. Graecis sermonibus eruditus. Punica eloquentia promptior, quippe genitus apud Leptim provinciae Africae.*

discesserit, auxeritque imperium insigni modo; sed ambitiosius quam verius Herodianus L. III. c. 7. tantis laudibus effert rerum a Severo gestarum praestantiam, ut nihil cum his comparari posse contendat, nec Caesarem nec Augustum, nec, qui ante hos fuerunt, Sullam aut Marium. *Οἵ τε τοῦ Σεβήρου*, ita scribit Herodianus, *τήν τε πόλιν Λουγδοῦνον διαρπάσαντες καὶ ἐμπρήσαντες, τόν τε Ἀλβῖνον συλλαβόντες, καὶ τῆς κεφαλῆς ἀφελόντες, κομίσαντες αὐτὴν τῷ Σεβήρῳ, δισσὰ καὶ μέγιστα ἤγειραν τρόπαια, τὸ μὲν ἐν ἀνατολῇ, τὸ δ' ὑπ' ἄρκτῳ· ὡς μηδὲν ταῖς Σεβήρου μάχαις ἢ νίκαις παραβάλλεσθαι, μήτε πλήθει δυνάμεως, μήτε ἐθνῶν κινήσεσιν, ἀριθμῷ τε παρατάξεων, ὁδοιπορίας τε μήκει καὶ τάχει. Μεγάλαι μὲν γὰρ αἱ Καίσαρος πρὸς Πομπήϊον ἑκατέρωθεν στρατοπέδων Ῥωμαϊκῶν μάχαι, καὶ αὐτοῦ Σεβαστοῦ πρὸς Ἀντώνιον ἢ τοὺς Πομπηΐου παῖδας εἴτέ τι πρότερον Σύλλᾳ ἢ Μαρίῳ ἐν ἐμφυλίοις καὶ Ῥωμαϊκαῖς μάχαις ἢ ἄλλοις πέπρακται. ἕνα δὲ ἄνδρα τρεῖς καθελόντα βασιλέας ἤδη κρατοῦντας, καὶ τοῦ μὲν ἐν Ῥώμῃ στρατοῦ, σοφίᾳ περιγενέσθαι, καὶ τὸν ὄντα ἐν τῇ βασιλείῳ αὐλῇ καθῃρηκέναι; τὸν δέ, τῶν ἐν τῇ ἀνατολῇ κρατοῦντα πάλαι καὶ ὑπὸ Ῥωμαίων βασιλέα κληθέντα, τὸν δέ, ἐν Καίσαρος τιμῇ καὶ ἐξουσίᾳ γεγονότα χειρωσάμενον ἀνδρείᾳ, οὐκ ἔστιν ἄλλον ῥᾳδίως εἰπεῖν.* Integrum adscripsi Herodiani locum, quod istam comparationem Severi cum clarissimis superiorum temporum viris magis censeam Severi quam Herodiani ingenium redolere; ita quidem, ut fere suspicari audeam Herodianum, quamquam non nominato fonte, haec ipsa depromsisse ex Severi Commentariis.

Sed quantamcunque Severo materiam scribendi praebuerint bella a se gesta, maiorem Commentarii partem postulare sibi debuerunt, si omnia, quae perpetravit, excusare voluerit, crudelitatis suae facinora. Fuit enim natura saevus et, ut eo vivo iam, etsi non impune, secundum Aelium Spart. c. 14. plures loquebantur, *Imperator vere nominis sui*, *vere Pertinax*, *vere Severus;* qui, quamquam principatus exordio, more bonorum principum, iuraverat se nullum senatorem occisurum et Senatus Consultum de ea re fieri iusserat, *ne liceret imperatori inconsulto senatu occidere senatorem* (c. 7.); primus tamen ipsemet contra eam legem peccavit; quippe qui multos senatores sustulerit, atque in his eum, qui id S. C. perscripserat. Et hostes quidem victos et interemptos etiam crudelissime tractavit. Nigri caput pilo circumtulit (c. 9.): Albini, paene seminecis, caput abscindi iussit, Romamque deferri, idque literis prosecutus est; reliquum autem cadaver eius ante domum propriam exponi ac dividi iussit (c. 11.). Sed teste eodem Aelio Spart. c. 8 et 9. Severus etiam amicos Iuliani incusatos proscriptioni ac neci dedit, et in multos animadvertit, praeter ordinem senatorium, qui Nigrum fuerant secuti, eosque senatores occidit, qui cum Nigro militaverant ducum vel tribunorum nomine. Albini autem partium innumeris interfectis, inter quos multi principes civitatis, multae feminae illustres fuerunt, omnium bona publicavit: Hispanorumque et Gallorum proceres multos occidit (c. 12). Tum quoque, ut legimus ibid. c. 13. occidit sine causae dictione hos nobiles — numero XLI. quamquam Dio Cassius L. LXXV. c. 8. p. 853. D. numerum nominat tantummodo *ἐννέα καὶ εἴκοσιν* — Mummium Secundinum, Asellium Claudianum, Claudium Rufum, Vitalium Victorem, Papium Faustum, Aelium Celsum, Iulium Rufum, Lollium Professum, Aurunculeium Cornelianum, Antoninum Balbum, Posthumium Severum, Sergium Lustralem, Fabium Paulinum, Nonium Gracchum, Mustium Fabianum, Casperium Agrippinum, Ceionium Albinum, Claudium Sulpicianum, Memmium Rufinum, Casperium Aemilianum, Cocceium Verum, Erucium Clarum, L. Stilonem, Clodium Rufum, Egnatuleium Honoratum, Petronium Iuniorem: Pescennios, Festum et Neratianum et Aurelianum, et Materianum et Iulianum, et Albinum: Cerellios, Macrinum et Faustinianum et Iulianum: Herennium Nepotem, Sulpitium Canum, Valerium Catulinum, Novium Rufum, Claudium Arabianum, Marcum Asellionem. Horum igitur tantorum ac tam illustrium virorum fuit interfector, in quibus multi consulares, multi praetorii, omnes certe summi viri fuere. Cincium Severum calumniatus est quod se veneno appetisset, atque ita interfecit. Narcissum deinde, Commodi strangulatorem, leonibus obiecit. Multos praeterea obscuri loci homines interemit, praeter eos quos ius proelii absumpsit. Hucusque Aelius Spartianus. Alia etiam crudelitatis exempla memorat Dio Cassius; ut: de Iulio Solone, qui iussu Imperatoris illud, de quo diximus, S. C. perscripserat, L. LXXIV. c. 2. p. 840. B. de senatoribus populi Romani, quos bonis exuit aut in insulas relegavit, L. LXXIV. c. 8. p. 844. B. de Iulio Crispo, tribuno praetorianorum militum, et Laeto, L. LXXV. c. 10. p. 854. E. Quorum omnium scelerum avaritiam unam fuisse causam arbitratur Herodianus L. III. c. 8.

Cffr. Vossius, de Hist. Lat. L. II. c. 2. Funccius, de Vegeta L. L. Senectute c. II, §. XII. p. 61. Bähr, §. 250. T. II. p. 174.

Fragmenta.

† (*Aelius Spartian. in v. Pescennii Nigri c. 4. sq.*) In Vita Sua Severus dicit, se prius quam filii sui id aetatis haberent ut imperare possent, aegrotantem id in animo habuisse, ut, si quid forte sibi accidisset, Niger Pescennius eidem et Clodius Albinus succederent, qui ambo Severo gravissimi hostes extiterunt. Unde apparet quod etiam Severi de Pescennio iudicium fuerit. Si Severo credimus, fuit gloriae cupidus Niger, vita fictus, moribus turpis, aetatis provectae quum imperium invasit: ex quo cupiditates eius incusat, perinde quasi Severus minor ad imperium venerit, qui annos suos contrahit, quum decem et octo annis imperarit et octogesimo nono perierit.

† (*Iulius Capitolin. in v. Clodii Albini c. 7.*) Ad imperium venit natu iam grandior, et maior Pescennio Nigro, ut Severus ipse in Vita Sua testatur.

† (*Iulius Capitolin. in v. Clodii Albini c. 10.*) De moribus eius varia dicuntur. Et Severus quidem ipse haec de eodem loquitur, ut eum dicat turpem, malitiosum, improbum, inhonestum, cupidum, luxuriosum.

† (*Damascius in Vita Isidori ap. Photium Biblioth. n⁰. CCXLII. p.* 1029.) *Ἦν δ' ὁ Σεβῆρος Ῥωμαῖος, καὶ Ῥωμαίων πατὴρ, κατὰ τὴν τοῦ νόμου ἀξίωσιν. ὃς ἔλεγε καὶ λίθον ἰδεῖν, ἐν ᾧ σελήνης ἐγίνετο σχήματα, μεταμορφουμένης παντοῖα μὲν, ἄλλοτε δὲ ἄλλα, πρὸς ἥλιον αὐξανομένης καὶ μειουμένης, ἐνόντα τῷ λίθῳ καὶ αὐτὸν τὸν ἥλιον.*

† (*Herodianus L. II. c.* 9.) *Ἀνέπειθε δὲ αὐτὸν ὀνείρατα, τοιαύτην τινὰ ἐλπίδα ὑποσημαίνοντα, χρησμοί τε καὶ ὅσα εἰς πρόγνωσιν τῶν μελλόντων σύμβολα φαίνεται. ἅπερ πάντα ἀψευδῆ καὶ ἀληθῆ τότε πιστεύεται, ὅταν εἰς τὴν ἀπόβασιν εὐτυχηθῇ. Τὰ μὲν οὖν πολλὰ εἰς τὸ ῥηθὲν αὐτός τε συγγράψας ἐν τῷ καθ' αὑτὸν βίῳ, καὶ δημοσίαις ἀνέθηκεν εἰκόσι. τὸ δ' οὖν τελευταῖον καὶ μέγιστον, ὅπερ αὐτῷ καὶ τὴν ἐλπίδα πᾶσαν ὑπέφαινεν, ὄναρ, οὐδ' ἡμῖν παραλειπτέον. Κατὰ γὰρ καιρὸν ὃν ἀπηγγέλη Περτίναξ παραλαβὼν τὴν ἀρχὴν, μετὰ τὸ προελθεῖν καὶ θῦσαι ὁ Σεβῆρος, καὶ τὸν ὑπὲρ τῆς Περτίνακος βασιλείας ὅρκον ἀφοσιώσασθαι, ἐπανελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν, ἑσπέρας καταλαβούσης εἰς ὕπνον κατηνέχθη, μέγαν καὶ γενναῖον ἵππον βασιλικοῖς φαλάροις κεκοσμημένον ὠήθη βλέπειν, φέροντα ἐποχούμενον τὸν Περτίνακα διὰ μέσης τῆς ἐν Ῥώμῃ ἱερᾶς ὁδοῦ. ἐπεὶ δὲ κατὰ τὴν ἀρχὴν τῆς ἀγορᾶς ἐγένετο, ἔνθα ἐπὶ τῆς δημοκρατίας πρότερον ὁ δῆμος συνιὼν ἐκκλησίαζεν, ὠήθη τὸν ἵππον ἀποσεῖσαι μὲν τὸν Περτίνακα καὶ ῥίψαι· αὐτῷ δὲ ἄλλως ἑστῶτι ὑποδῦναί τε αὐτὸν, καὶ ἀράμενον ἐπὶ τοῖς νώτοις, φέρειν τε ἀσφαλῶς καὶ στῆναι βεβαίως ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς μέσης, εἰς ὕψος ἄραντα τὸν Σεβῆρον, ὡς ὑπὸ πάντων ὁρᾶσθαί τε καὶ τιμᾶσθαι.*

Si verum est, quod h. l. docemur ab Herodiano, Severum in libris de Vita Sua scripsisse de plerisque somniis et oraculis deque ceteris futurarum rerum praesagiis, ex quibus principatum sibi speraverat, probabiliter huc referenda erunt, quae id genus narrantur ab Aelio Spartiano et Dione Cassio. Cuius modi haec sunt:

† (*Ael. Spart. in v. Sev. c.* 1.) Quum Romam venisset, hospitem nactus qui Hadriani Vitam imperatoriam eadem hora legeret, sibi omen futurae felicitatis arripuit. Habuit etiam aliud omen imperii: Quum rogatus ad coenam imperatoriam palliatus venisset, qui togatus venire debuerat, togam praesidiariam ipsius imperatoris accepit. Eadem nocte somniavit, lupae se uberibus ut Remum inhaerere vel Romulum. Sedit et in sella imperatoria temere a ministro posita, ignarus quod non liceret. Dormienti etiam in stabulo serpens caput cinxit, et sine noxa expergefactis et acclamantibus familiaribus abiit.

† (*Ael. Spart. c.* 2.) Tunc in quadam civitate Africana quum sollicitus mathematicum consuluisset, positaque hora, ingentia vidisset astrologus, dixit ei, *Tuam, non alienam pone genituram.* Quum Severus iurasset suam esse, omnia ei dixit quae postea facta sunt.

† (*Ael. Spart. c.* 3.) Tunc ad Hispaniam missus somniavit primo sibi dici ut templum Tarraconense Augusti, quod iam labebatur, restitueret. Deinde ex altissimi montis vertice, orbem terrarum Romamque despexit, concinentibus provinciis lyra, voce vel tibia.

† (*Ael. Spart. c. 3. f.*) Quum amissa uxore aliam vellet ducere, genituras sponsarum require-

bat, ipse quoque matheseos peritissimus: et quum audisset esse in Syria quamdam quae id geniturae haberet ut regi iungeretur, eamdem uxorem petiit, Iuliam scilicet: et accepit interventu amicorum: ex qua statim pater factus est.

† (*Ael. Spart. c.* 4.) Proficiscens ad Germanicos exercitus, hortos spatiosos comparavit, quum antea aedes brevissimas Romae habuisset, et unum fundum. In his hortis quum humi iacens epularetur cum filiis parca coena, pomaque apposita maior filius, qui tunc quinquennis erat, cum collusoribus puerulis manu largiore divideret, paterque illum reprehendens dixisset, *Parcius divide; non enim regias opes possides:* quinquennis puer respondit, *Sed possidebo.*

† (*Ael. Spart. c.* 10.) Tunc sollicitus quum consuleret, a Pannoniacis auguribus comperit se victorem futurum, adversarium vero [Albinum] nec in potestatem venturum, nec evasurum, sed iuxta aquam esse periturum.

† (*Dio Cassius L. LXXIV. c.* 3. *p.* 840. *C.*) *Σημεῖα δὲ αὐτῷ ἐξ ὧν τὴν ἡγεμονίαν ἤλπισε, ταῦτα ἐγένετο· Ὅτε γὰρ ἐς τὸ βουλευτήριον ἐςεγράφη, ὄναρ ἔδοξε λύκαινάν τινα κατὰ ταὐτὰ τῷ Ῥωμύλῳ θηλάζειν. Μέλλοντί τε αὐτῷ τὴν Ἰουλίαν ἄγεσθαι, ἡ Φαυστίνα ἡ τοῦ Μάρκου γυνὴ τὸν θάλαμον σφίσιν ἐν τῷ Ἀφροδισίῳ τῷ κατὰ τὸ παλάτιον παρεσκεύασεν. Ὕδωρ τε ἐκ τῆς χειρὸς αὐτῷ καθεύδοντί ποτε, ὥσπερ ἐκ πηγῆς, ἀνεδόθη. Καὶ ἐν Λουγδούνῳ ἄρχοντι, πᾶσα αὐτῷ ἡ τῶν Ῥωμαίων δύναμις προςῆλθέ τε καὶ ἠσπάσατο· ὄναρ, φημί. Καὶ ἄλλοτε ἀνήχθη ἐς περιωπὴν ὑπό τινος· καὶ καθορῶν ἀπ᾽ αὐτῆς πᾶσαν μὲν τὴν γῆν, πᾶσαν δὲ τὴν θάλατταν, ἐφήπτετο αὐτῶν ὥσπερ πανορμονίου τινὸς ὀργάνου, καὶ ἐκεῖνα συνεφθέγγετο. Καὶ αὖθις ἵππον ἐν τῇ ἀγορᾷ τῇ Ῥωμαίᾳ τὸν μὲν Περτίνακα καὶ ἀναβεβηκότα ἀποῤῥίψαι, ἑαυτὸν δὲ ἑκόντα ἀναλαβεῖν ἐνόμισε. Ταῦτα μὲν ἐκ τῶν ὀνειράτων ἔμαθεν, ὕπαρ δὲ ἔς τε τὸν βασιλικὸν δίφρον, ἔφηβος ὢν ἔτι, ἀγνοίᾳ ἐνιδρύνθη. τὴν μὲν οὖν ἡγεμονίαν μετὰ τῶν ἄλλων καὶ ταῦτα αὐτῷ προεδήλωσε.*

Quae h. l. brevibus tangit Severi somnia et prodigia singulari libello exposuerat Dio Cassius, qui periit; quem libellum admodum Severo placuisse, ipse fatetur L. LXXII. c. 23. p. 828. D. *Βιβλίον τε περὶ τῶν ὀνειράτων καὶ τῶν σημείων, δι᾽ ὧν ὁ Σεβῆρος τὴν αὐτοκράτορα ἀρχὴν ἤλπισε, γράψας ἐδημοσίευσα· καὶ αὐτῷ καὶ ἐκεῖνος πεμφθέντι παρ᾽ ἐμοῦ ἐντυχὼν, πολλά μοι καὶ καλὰ ἀντεπέστειλε.*

Habes, Benevole Lector, quae nunc quidem tibi destinaveram: in quibus si nimis multa reprehendas peccata, enixe rogo ignoscas auctori, quem primum quidem insolitus et fere intolerabilis harum feriarum calor aestivus, deinde autem dirissima calamitas domestica impediverunt, quominus ita, ut oportuisset, in singulis elaboraret. Finem igitur scriptioni meae faciant verba Trebellii Pollionis, qui unus est Historiae Augustae Scriptorum, quorum corpus hisce diebus pervolutare debui plurimum. Hic utique, ubi proposito suo satisfecit et omnes XXX Tyrannos descripsit: H a b e s, inquit, i n t e g r u m n u m e r u m. D a n u n c c u i v i s l i b e l l u m, n o n t a m d i s e r t e q u a m f i d e l i t e r s c r i p t u m. N e q u e e g o e l o q u e n t i a m v i d e o r p o l l i c i t u s e s s e, s e d r e m.

I N D E X.

Ex Typographeo P. Wrzsouw.